



# **Erycii Puteani Historiae Belgiae liber singularis, de obsidione Lovaniensi anni M.DC.XXXV : novi sub Ferdinando principe belli auspicia**

<https://hdl.handle.net/1874/13277>

ERYCIPUTEANI

HISTORIÆ  
BELGICÆ  
LIBER SINGVLARIS,  
DE  
OBSIDIONE LOVANIENSI  
ANNI 150. I.C. XXXV.

Novi sub FERDINANDO Principe  
belli Auspicio.



ANTVERPIÆ,  
Typis IOANNIS CNOBBARI,  
150. I.C. XXXVI.

*Cum privilegio Regis Catholici.*

T R I B V S

B R A B A N T I A E  
O R D I N I B V S,  
S A C R O , E Q V E S T R I , C I V I L I ,  
L O V A N I V M

O E S E S S V M , D E F E N S V M , L I B E R A T V M  
E . P U T E A N V S R A M E L R O D I V S

D . C . Q .

 V O D una, omnium  
nomine, civitas bel-  
lum sustinuit, Incly-  
ti Patriæ Patres, sti-  
lo exprimere conatus sum, ut  
universæ spectandum Belgicæ  
darem. Hunc à me exigere la-  
borem visa, quæ una, imò pri-  
ma est: hunc etiam, ut persol-  
yerem omnibus, vestræ existi-

A 2 mayi

D E D I C A T I O.

mavi offerendum gloriæ esse.  
Vna quidem illa , quia tentata  
hosti , momentum ac fortuna  
fuit cæterarum ; quia non ti-  
muit, salus; quia stetit, decus ac  
gloria. Tantum arma posse, u-  
bi Musæ, pacis alumnæ, colun-  
tur, mirum sit; nisi in confor-  
tium Pallas veniat. Vos Anti-  
stites, difficillimo adeò tempo-  
re, in uno Religionem & sacra  
oppido; vos Nobiles , in una  
dignitatem ac splendorem cu-  
ria; vos Magistratus, in uno le-  
ges ac libertatem populo su-  
perstitem ubique & illibatam  
habetis. Nomen laudem absolvat,  
LOVANIVM est, Religio-  
ne, Dignitate, Libertate splen-  
dens, caput in corpore urbiuum;

que

## D E D I C A T I O.

quo presso, aut oppresso, reliqua quodam velut fato membra collaborerentur. Hoc sanè velut munimentum, imò scutum Patriæ universæ, vim & iram duorum potentissimorum exercituum, excepit, tulit, elisit. Quid nisi pugnante Deo? Princeps verò noster FERDINANDVS, ille victoriis ac triumphis natus, cùm exercitum suum ad penetralia provinciæ reduceret, quod armis statim fieri non poterat, consiliis effect; tempestivè quidem saluberrimum Augusti Cæsaris monitum usurpans:

*ΑσΦαλής γάρ εσ' αμείνων, οὐδέποτε σπατηλάτης.*

Etenim cautum esse, actuta se-

A 3 qui,

## D E D I C A T I O.

qui, optimum bellandi genus;  
cùm hostem citra pugnam con-  
fici. *Quis non Suetonium il-*  
*lum Paulinum laudet: cui cauta*  
*potius consilia cum ratione, quam*  
*prospera ex casu placebant?* Nimi-  
rum, ut firmius consistas, inter-  
dum cedere opportunum est;  
certiorque è solido gradus ve-  
stigio infertur. Ergò suum hīc  
Deus, & suum Princeps nego-  
tium egit. Alter, qui summā &  
æternā providentiā regit om-  
nia, animos urbi dedit, ut pu-  
gnare auderet: alter, qui ad  
Deum dirigit omnia, vires, ut  
posset. Sed vires viri fuerunt.  
Vnus quidem, qui præcesset re-  
liquis, verè unus, ANTONIVS  
Baro GROBBENDONCQVIUS,

D'E D I C A T I O.

è numero & corpore vestro,  
mens & anima virtutis ac pru-  
dentiae bellicae : qui subsidio  
quatuor Legionum invictus,  
flectere obsidionis fortunam  
suo arbitrio potuit. Quid Tri-  
buni, laborum socii, aut admi-  
nistri ? In partem gloriae ve-  
niunt ; è tota selecti militia ; ut  
uni illi simillimi essent, inter se  
quodammodo pares : Ioannes  
Conradus Aubermontius, To-  
parcha Ribaucourtius, Antonii  
è sorore nepos, & simul affinis;  
Lancelottus Grobbendonc-  
quijs, Baro Weseinalius, An-  
tonii filius ; Thomas Presto-  
nius, Hibernus gente, è Vice-  
comitibus Gormanstoniis; de-  
nique peculiari gradu Adol-

D E D I C A T I O.

phus Einhoutius , nobile Pæ-  
manorum decus , novumque  
Regiæ fortunæ incrementum.  
Quot profectò nomina , tot  
Martis miracula , æternitatis ta-  
bulis inferenda . Cernere licuit,  
sub tam strenuis ducibus mili-  
tes quoque strenuos esse. Sic  
enim se gessere omnes , tan-  
quam suos quisque lares ac pe-  
nates defenderet; nihil arduum  
virtuti putaret , quâ & pietas  
includeretur. Cives quoq; hoc  
exemplo milites erant ; sed sub  
Prætore suo , Consulibusque  
vigilantissimis : Iuventus , tan-  
quam cives ; sed sub Rectore  
suo , cuius armata quoque jam  
potestas erat. Ergò hoc age-  
bant cuncti , ne vel fortunâ ,  
vel

## DE D I C A T I O.

vel conditione discernerentur:  
gnari, quid sacramentum, quid  
virtus exigeret ; quid Deus,  
Rex, caussa. Vnus omnium la-  
bor erat, eadem industria, par-  
studium; cum extrema experiri  
mallent, mortemque amplecti,  
quam vitam hosti debere. Pu-  
gnare deliciæ erant : quotidie  
eruptiones, velitationes, cedès,  
& sine intermissione bellum.  
Hæc omnia, ut gesta, & mihi  
præsenti cognita, stilo compre-  
hendi: & nonne aliorum quo-  
que oculis digna ? Videbunt  
Lovanium à Gallis Batavisque,  
magnâ vi obsecsum ; à Deo  
majori beneficio liberatum.  
Quicquid enim hic miles no-  
ster, civis, juventus egit, à Deo

## D E D I C A T I O.

est; qui dicatum sibi Pictatis ac  
Doctrinę templum injuriæ vo-  
luit, flammæ, ruinæ exemptum  
esse: frangere hostem & ener-  
vare, ubi minimæ vires erant,  
nulla à munitis subsidia,  
nulla ab apparatu tutela. Et  
quæ hinc tamen belli totius ca-  
tastrophe! Vrbs ecce nullo mi-  
litiae loco habita, tota pacis ac  
quietis; urbs vasta, vacua, &  
quæ sibi non sufficeret, provin-  
ciæ propugnaculum facta; ut  
cùm sua vix esset, vestra magis  
fieret: inclyta, quia oppugna-  
ta; celebris, quia defensa; æter-  
na, quia conservata. Ego, qui  
Litterarum professione ac mu-  
nere vester sum, in Arce urbis  
incola, & Academiæ tanquam  
civis,

## D E D I C A T I O.

civis, oppugnatam, defensam,  
conservatam scripsi; ut sic am-  
plius etiam vester essem: Tri-  
plici Ordini vestro inscripsi; ut  
& esse me, & amplius esse,  
publicè testarer. Si Historia igi-  
tur placet, & potissimum Belgica:  
hinc ordior, sub Principe  
novo, novum bellum, novo au-  
spicio. A vincentis gloria ma-  
teriam sumam, studia deinceps  
(quia pars obsidionis fui) tan-  
quam arma habiturus: ut si non  
manum, ingenium bello occu-  
pem; quamvis & hic suum ma-  
nus munus exsequatur. Ad  
summam, vel stilo pugnabo, si  
satis non erit scribere; vel gla-  
dio scribam, si satis non erit  
pugnare. Valete, vivite, splen-  
dete,

D E D I C A T I O.

dete, Incliti Patriæ Patres, &  
Litteras, quæ rerum omnium  
faces sunt, ornamenta, solatia,  
imò quæ vestræ sunt, ab injuria  
temporum hominumque vin-  
dicate. Lovanii, in Arce, Natali  
meo lxi. Pridie Nonas No-  
vembris, 1535. quo  
codem die Crucem aliquan-  
do suam clarissimi vir ingenii  
IUSTVS LIPSIUS gloriæ ve-  
stræ consecrabat.



SAL.

S A L L V S T I  
M O N I T V M.

Pvlchrum est bene facere reipubli-  
cae : etiam bene dicere haud ab-  
surdum est. Vel pace, vel bello clarum  
fieri licet: & qui fecere, & qui facta  
aliorum scripsere, multi laudantur.  
Ac mihi quidem, tametsi haudqua-  
quam par gloria sequatur Scripto-  
rem, & Auctorem rerum; tamen im-  
primis arduum videtur, res gestas  
scribere: primum, quod facta dictis  
exequanda sunt: dein quia plerique,  
qua delicta reprehenderis, malevolen-  
tiā, & inuidiā dicta putant; ubi de  
magna virtute, atque gloria bonorum  
memores, que sibi quisque facilis  
factu putat, a quo animo accipit; su-  
prā, veluti ficta pro falsis ducit.

PALLAS GRVDIA  
AD ERVCIVM. PVTEANVM, V. A.  
. Consiliarium & Historiographum R.

**G**rudia Parthenio PALLAS gavisa triumpho,  
Constitit excelsa numinis Arce sui,  
Atque ait : O magni vir nominis, inclita caelo  
Fama per aeternos quem vehit aqua Deos,  
Quid variis animum curis, PVTEANE, fatigas ?  
Si cupis Historiam scribere, scribe novam.  
Hic tibi materies justi est oblata laboris ;  
Non alia poteras pulchrius ire viam.  
Dic Batavum, & varii crudelia foedera Galli,  
Dic saeclo insaniens, Marte favente, fugam :  
Dic inconcussum generoso pectori civem,  
Magnos dic animos militis, atque Ductis.  
Dic &c quae vidisse potes. Tibi cetera linguo :  
Solus enim soli sufficiis ipse tibi.

LUDOVICVS BROMANVS, I.C.

O.B.

OBSIDIONIS

# LOVANIENSIS

## CHARACTER,

Ex epistolâ ESPENANI , Nobilis Galli,  
ad Cardinalem VALLETTANVM.

## ARGUMENTI LOCO.

\*  RAIECTI , post in-  
utilem octo aut de-  
cem dierum moram ,  
Mosam transmisimus ,  
rectoq; Thenas itinere profecti , id  
oppidum alacriter aggressi sumus .  
Præfектus loci , postquam tribus  
quatuorve horis mœnia defendis-  
set , ad me misit , & pacem poposcit .  
Ego nostros , factis induciis , conti-  
nui ; ille suos . Principem Auria-  
cum mox adii ; qui negavit se pa-  
cisci velle , nisi ipsem ad se Pra-  
fectus

fectus prodiret: quâ tergiversatione  
semihora spatiū effluxit. Effeci  
tandem ut prodiret. Interea vero  
cùm Batavi, qui ad sinistrum latus  
oppugnatiōni dabant operam, nul-  
lum per inducias impedimentum  
deprehenderent, fossam transiere,  
admotisq; proximae turri scalis, in  
urbem penetrant. Nostri hoc exem-  
plo portam unam perfringunt, pa-  
riterq; irruunt. Simil igitur in  
omnem licentiam effusi, extrema  
designarunt: tanto quidem furore,  
ut nullum omnino potuerit reme-  
dium adferri. Templa omnia ac  
monasteria spoliata, Dicatæ Deo  
virgines violatae, pessimeq; habitæ,  
denique ignis in totam passim ur-  
bem immisus. Distinctè hac narro,

## CHARACTER.

ut caussam ruine nostræ repreſen-  
tem. Oppidum enim hoc frumento,  
aliisq; ad vitam rebus necessariis  
plenum , in duos nutrire menses  
exercitum poterat. Decem igitur  
dies extracti, priusquam castra mo-  
verentur ; ut interea panis ad iter  
quatuor aut quinque dierum in-  
ſtruueretur. Mota ſic quidem fuit,  
datâ hostibus respirandi, ſeſeq; mu-  
niendi occaſione, & otio ; qui Lo-  
vanii ad ripam amnis , ut vocant,  
Dilia , urbem interluentis , valido  
cincti aggere, nos exspectabant. Ad  
ſecundum igitur inde lapidem tra-  
jicere coacti , aliquid etiam obſta-  
culi invenimus. Totus horum exer-  
titus , ut transitu nos prohiberet ,  
motsus erat : ſed præoccupatâ per-

B. quam.

## OBSIDIONIS

quām commoda statione, ulteriore  
rem obtinuimus ripam. Quo hostis  
tempore, non sine magna confu-  
sione retraxit copias, quamvis  
acriter à nobis pressus non sit. Hæc  
à trajectu difficultas fuit, cui tres  
simul pontes structi sunt. Biduo pòst  
inter Bruxellam, Mechliniam, Lo-  
vanium, & Vilvordiam castra col-  
locavimus; ac de Lovanio tanquam  
debiliori (nullarum enim erat vi-  
rium) obsidendo consilium placuit.  
Aliud Principi: à quo tamen di-  
moveri potuit, necessitatis ratione  
inductus, cùm nulla prorsus panis  
copia, ac ne spes quidem nobis su-  
peresset, Leodio, unde suppeditan-  
dus erat, decem jam miliaria re-  
motis. Obsidionem igitur orsi su-  
mus,

## CHARACTER.

mus, feliciterq; satis versùs urbem  
aggeres direximus. Princeps bi-  
duo demum pòst accessit, casira  
sua, priusquam aliud inceparet,  
communiens; haud aliter infir-  
mum aggressus locum, ac si Antver-  
piam ipsam esset oppugnaturus.  
Statutum erat, diversis agminis  
bus, quatuorq; oppidum locis strin-  
gere: duobus cis amnem, duobus  
ultra: quod effectum non est, re-  
lictâ oppidanis plenâ trans Diliam  
libertate: quâ etiam parte subsi-  
dia pulveris, qui defecerat, illata.  
Decem omnino dies circa urbem  
hæsimus, atque toto hoc tempore  
bis duntaxat demenso panis frui  
licuit. Milites passim fame enecti  
deficiebant; ac jam deerant, qui

## OBSID. CHARACTER.

*laboribus sufficerent. Hac necessitate rerum, cùm ne spes quidem ulla remedii affulgeret, bonum factum visum est, obsidionem solvere, exercitumque in locum, ubi ali posset, transferre. \** Lutetiae,  
VIII. Kal. Aug<sup>usti</sup>, 1535. C. XXXV.



ERYCI PUTEANI

HISTORIÆ  
BELGICÆ  
LIBER SINGVLARIS

D E


OBSIDIONE LOVANIENSI.

**V**ARIAM hactenus longi  
fortunam belli in pro-  
vinciis spectavit Belgicis, & simul motus est,  
terrarum Orbis : totam ab una tan-  
dem pependisse urbe, ac repente  
conversam, scribere, imò repræsen-  
tare aggredior. Hæc cælestis om-  
nino Principis FERDINANDI, pro  
fratre PHILIPPO, terræ marisque  
arbitro, Martis molem regentis; &  
mea, quæ deinceps gerentur scrip-  
turi, auspicia sunt. Meum audebo,  
muneris ratione, ingenium felicif-

B 3 simi

*Pag. 1.*  
LOVANIVM.

- A. Porta Bruxellensis.
- B. P. Viluordiensis.
- C. P. Mechliniensis.
- D. P. Arschotana.
- E. P. Distemiensis.
- F. P. Thenensis.
- G. P. Parcensis.
- H. P. Heuerlensis.
- I. Cataracta maior.
- K. Inundatio Dilicæ.
- L. Specula. M. Arx.



## 2 HISTORIA BELGICÆ

fimi & clementiâ vincentis Bellatoris gloriæ impendere : qui ut arma indueret , magis etiam Litteras complexus est . Sed res mihi Belgæ Belgicæ cordi sunt ; quemadmodum Insubricæ in Irruptionibus Barbarorum , & Cisalpinæ in Medicæo fuerunt : poscit Lovanium , quod Mediolano persolutum est . Aliquid sanè urbis alterius , in qua vixi , altera , in qua vivo , habet magna , celebris , & provinciæ suæ caput ; tam aeris sæpius turbine concussa , ut in exemplum calamitatis & virtutis condita videatur . Quid Normannos refero , hominum urbiūque aliquando exitium & fatum ? Hos quoque Lovanium timuit , sustinuit , vicit . Anno deinde 80 . XII . à Godefrido Lotharingo ( Principe , an tyranno ? ) suas , & Germaniæ vires ducente , obsessa , & pertinaciter oppugnata , incredibili armorum constantiâ totam belli

belli molem profligavit. Post incrementa fortunæ , suo aliquando vitio propè eversa, cùm ante annos plusminus ducentos septuaginta , rerum potiente VVenceslao, interneccinâ plebis seditione arderet. Textrinæ igitur in scholas, à Ioanne Duce, pacis artes amante commutatæ ; ut cum Minerva, lanificio jam languente , Musæ colerentur. His etiam infesta posteà Gallorum fuit rabies , latrante Longevallio, cùm belli famam suo Rossemius terrore sustineret. Obsessa urbs erat, & mox per facialem interpellata, Positis armis conditiones admitteret: abiturum exercitum, si trimestre militi solveretur stipendium , adjectis pecuniæ tormentis machinisque urbis, ac totto belli apparatu. Quia iniquiora postulata erant, ad iram necessitas venit , ad furorem desperatio. Factâ in hostem è porta Bruxellensi

## 4 HISTORIÆ BELGICÆ

eruptione, turbata penitus castra, terrore magis quam cæde dissipata. Aut fallor, aut nostrarum video imaginem rerum, eodem quasi fato & circulo post sæculi intervallum redeuntium: quæ & ipsæ nunc dignæ, absentibus, veritatis; posteris, memoriæ causa, tradi.

BELGARVM animos novum purpureumq; recrearat FERDINANDI Principis Austriaci jubar, & subitæ ingravescentis belli nubes, Gallis Batavisque fœdo fœdere conspirantibus, coactæ. Illos Castellionæus & Brisæus ducebant, clarum uterque patriæ militiae decus: hos Auriacus Fredericus Henricus, quem consilio imperioque militari cautum, parem Mauritio fratri & belli fervor, & fortunæ favor extulerat, suis fidentem viribus, alienis fultum. Galli, rejectis prælio limitaneis prope Namurcum copiis, Trajectum versus agmina sua, Auriaco

riaco occursura, promovere. Triginta circiter quinque millia sub signis erant, valido satis numero, quo hostem, felici jam victoriæ auspicio superbi, despexerant. Bata-vorum exercitus peditatu potior, viginti quatuor adferebat milium robur, è præsidiis urbium undique collectum. Apparatus, majori etiam videbatur bello sufficere. Inter duces de ratione rei gerendæ, disceptatum, pluresque deinceps cum damno expeditionis dies extracti. Facilius foedere, quam castris coivere. Vnum bellum, bini exercitus erant; sive ad augmentum terroris, sive ut dispari genio & religione gentes facilius regerentur. Galli, exceptis ferè quadringentis (quos obsidio Lovaniensis quasi omnes extinxit) nostra ritu Catholico & Romano colebant Sacra: Batavi in nobis hæc oppugnatum ibant. Diceres hostes inter se esse,

qui amici & fœderati erant; ut verò hostium nos haberent loco, qui reverà hostes non eramus, plus arma quām Sacra valuisse. Iunctis igitur animis, sejunctis copiis, belli mollem in Brabantiam, reliquas inter se provincias pacti, transferunt, omnisque prope Trajectum urbem miles, injecto Mosæ ponte, in ultiorem ripam transit. Summâ vi penetralia peti provinciæ, non sine terrore fama monuit. Primo impietu quicquid in via hostile esset, vel capiunt hostes, vel depopulantur ac vastant; longè latèque pavore ac trepidatione complent omnia. Interea Serenissimus Princeps FERDINANDVS Bruxellâ Lovanium venit, & cognitâ Aviniensi clade, cum copiis hactenus collectis obviām hosti profectus est. Non procul Thenensi urbe, ad Getam amnem castra aggere communita sunt. Lustratæ copiæ, quæ quidem ad

ad manum erant, exiguae, partim  
peditum, partim equitum, & in  
agmina sua divisæ. Equitatus, sub  
Præfecto suo Comite Ioanne Nas-  
savio, viro ad militiæ gloriam ab  
ipsa natura facto, floridus omnino  
erat; verum hosti, quia præpotenti,  
nequaquam par. Peditatus quoque  
longè infirmior, ad tutiora consilia  
animos ducum, & sic Principis de-  
,, duxit : Contrahenda Lovanium  
,, castra esse, relicto Levacis, The-  
,, nisque præsidio : utendum col-  
,, lium, amnis, urbis vastæ benefi-  
,, cio, quæ postquam Musarum  
,, studia recepisset, sedes belli sæ-  
,, pius fuerat, olim ac nuper trium-  
,, phis quoq; nobilitata. Hic Nor-  
,, mannos ab Arnulpho Imperatore  
,, acerrimo prælio victos, ac inter-  
,, necione deletos esse. Fractum  
,, aliquando Godefridum Lotha-  
,, ringum. Rejectos superiori secu-  
,, lo Gallos, fortissimum quamvis  
ducem

„ducem Rossemium haberent. A-  
„versum nuper Auriacum Princi-  
„pem Guilielmum, callidissimum  
„civilium tumultuum auctorem,  
„levique passum lytro libertatem  
„redimi, cum Gallis quoque suis  
„& Germanis recessisse. Placuit  
igitur opportunitas loci; quia cun-  
ctationi idonea, quæ temeritatem  
morâ corrigit, & callida magis  
quàm calida, tutam sequi fortunam  
mavult, quàm dubiam invadere.  
Consultissimum etiam erat, adsci-  
scere è præsidiorum undique reli-  
quiis vires; è Germania autem, paci-  
jam proxima, copias auxiliares præ-  
stolari. Aulam sic quidem in urbe  
Princeps, exercitum in agro collo-  
cavit, cùm dubitares, in exercitu,  
an in aula degeret; inter milites, an  
cives. Non togâ jam, sed fago de-  
corus, prodire quotidie, lustrare  
mœnia, opera, castra; reliquas con-  
siliis horas dare, curis, alloquiis.

Eadem

Eadem & vita & vigilantia Princi-  
pis Carigrani fuit , Marchionis  
Aytonæ, Ducis Lermensis, Comi-  
tis Nassaviæ , Baronis Balanconii :  
eadem Cairi & Cantelmi , summo-  
rum distincto honoris gradu du-  
cum, qui omnes virtute suâ partem  
exercitûs faciebant : eadem cæte-  
rorum , munere militari eminen-  
tium, quos non splendor corporis,  
non vestes auro aut gemmis distin-  
ctæ, sed innatus animi vigor ac ge-  
nerositas judicabat magnos & im-  
perio dignos esse. Peculiare hic  
quoque rebus subsidium Præses  
Belgii Rosa ; qui consilio ac pru-  
dentiâ armatus, Regi , difficillimo-  
ho tempore, Principi, Patriæ op-  
portunus ac utilis , divini ingenii  
viribus egit , ut quæ casu ardua ac  
periculosa essent , ratione guber-  
nata., ad felicitatem verterentur.  
Interea Ioanni Heimensio Cœc-  
quio Architecto militari Regio ,  
nec-

ne non Centutioni, facilis ac penetrantis ingenii viro, castrorum & muniendæ urbis datum negotium: qui tempestivam lineis mathematicis formam complexus, tam accuratè simul artis rationem differendo exposuit; ut non modò præsenti periculo consilium, sed futuro remedium expediret, quid omnino facturus hostis esset, promptâ quâdam solertiâ penetrans. Castra igitur ab orientis latere, quod urbem à colle & silva Loënsi, agris interjectis, separat, cis Diliam in campos Bancenses translata. Tuttior hic locus munitiorque naturâ, cùm à fronte amnem velut fossam, à lœva Vrbem, velut aggerem haberet. Ad repentinam quoque profectionem promptus exercitus erat, si, Lovanio fortè præterito, Bruxellam trajectu superiore, sive Mechliniam inferiore hostis peteret. Id quoque si divisis utrumque copiis

## LIBER SINGVLARIS. II

copiis tentaretur, opprimi alterutræ à pleno exercitu nostro poterant; si conjunctis, celeritate & compendio itineris præveniri. Nonnullos tamen nova hæc metatio perculisse visa; tanquam imagine formidinis, & confessione imbecillitatis, ad fugam magis, quam ad pugnam. Alii teatam potius callicitatem suspiciati: Trahi in penetralia provinciæ hostem, in opere rerum, quâ premi jam cœperat, facilius defecturum: longa annonæ itinera, ac sumptuosa esse, non jam navigiis, sed plaustris carrisque, novo insolitoque sumptu alimenta advehi. Suum cuique judicium liberum: sed mihi ea videntur consilia rebus apta, quæ inter metum ac fiduciam media, minus sermonibus vulgi obnoxia sunt; opportuna temporibus, quæ facili momento in benigniorem famæ materiam fleuntur. Pulchro

12 HISTORIA BELGICÆ  
chro deinde spectaculo sanctissima  
Theopheriæ mysteria celebrata;  
sacram Principe pompam comi-  
tante : quem Austriacum esse , pu-  
blico pietatis exemplo nosceres.  
Positâ majestate, tanquam privatus  
ivit ; quod erat , Deum sequi : in-  
censum manu cereum gestans ,  
quod erat , tenerimum omnibus  
affectum movere. Aula tota ac no-  
bilitas , modestiâ ac religione ar-  
mata , Deo magis quam Principi  
pompam faciebat ; pulchrior , quia  
pietati militiam subjicerat : digna  
sic quidem , quæ nobilitas esset , fe-  
liciterq; pugnaret. Hostes interea ,  
promotis castris , Thenas petière ,  
quod Brabantiae folet horreum ap-  
pellari , suis etiam cladib[us] olim , ac  
nuper celebre. Obsidionis com-  
pendium violentiâ ilicò tentatum .  
Milites præsidio relicti , civesque ,  
Martino Arcosio , longis exercita-  
to stipendiis , Præfectum agente ,  
strenue

strenue resistunt. Quatuor horas pugnatum est, cum , inclinato in vesperam die, prælio in periculum, induciæ , ut ad pacta veniretur, à Gallis impetratae. Agitur cum Auriaco , & novam interea, admotis etiam scalis, impressionem, nemine resistente, Batavi faciunt. Oppidani inter pugnam & ditionem vigilantes, prius decepti quam vieti, hosti, & jam non uni, cessere. Cessere Batavis , qui per inducias irruerant ; & Gallis , qui proximâ portâ occupatâ , pari ad prædam perfidiâ properabant. Sed non hic stetit militare scelus, aut solâ avaritiâ impletum. Quicquid per cædem crudeliter, per libidinem flagitosè, per incendium barbarè fieri potuit , urbs misera sustinuit: cruentata, inquinata, eversa, sed uni ut hosti maximè periret. Quippe alimenta, exercitui in menses aliquot suffæcta , simul absumpta.

C Primo

Primo quidem impetu sanguis ubique sparsus, ut ad prædam cruentarent: mox domus, templa, monasteria direpta. Ad fædiora furor sævientium prorupit. Matronæ, virginesque, etiam immaturæ, etiam Sacrae, privatim ac publicè constitutæ, in plateis, templis, aris. In unam aliquam plures passim, & cætervatim fœdissimam salacitatis contumeliam effuditæ, quis credet: extinctam esse, minus est. Infantæ quoque parieti illisi, aut ferro confosæ; quia nefandam matres libidinem rejicerent: ut castæ essent, jam non matres. Alias violatas mireris, ac dein occisas. Extremum fuit, etiam mortuis vim & Venetem inferre. Vbi pudor? ubi Religio? ubi Natura? Ad vindictam nisi homines venient, veniet Deus: quippe in uno jam populo & oppido sæculum violatum est, violatus, quem tota natura veneratur, Deus.

Horreco

Horreo dicere: Hostia tremendis mysteriis sacrata, in qua est ipse Deus, ab aris & hierothecis ubique detracta, alibi pedibus proculcata, alibi foribus templorum affixa, alibi equis in pabulum objecta. **Quid** amplius crudelis impietas, an impia crudelitas potuit? Post oppidum viatum, cælum, ut sic dicam, oppugnatum est; læsum ludibrio numen; quasi satis non esset, in homines sævire. Eodem etiam scelere sacræ Dei, Divorumque, & imprimitis D. Virginis Matris imagines ac statuæ raptate, & tanquam pugnassent, confosse; tanquam peccassent, punitæ. Duravit ad triduum rabies, lassata magis, quam satiata: tum verò injecto tectis igne, quod rapi, aut pollui non potuit, absumptum. Spectari hæc nobis ex Arce Lovaniensi sub vesperam flamma cœpit, cum horâ antemeridianâ undecimâ esset excitata; non satis

adhuc hosti exsurgens, aut lucens,  
nisi manibus machinisque in tem-  
pla traheretur. Septem sic quidem  
exusta sunt, & primo loco Sum-  
mum, quod S. Germani est: scilicet,  
ut capite dejecto, membra facilius  
corruerent. Sic miles sœviit, quia  
victor erat; jussu ducum, an per-  
missu, famæ reclinquo. Bella scimus  
bella esse: sed illa felicissima, quæ  
clementiâ temperantur, & à tota  
humanitate non recedunt. Destruit  
gloriam, qui cùm parcere possit,  
crudelis est: adeoque languescit  
fortunæ indulgentia, in sœvitiam  
magis, quam victoriā usurpata.  
Tam vicinum calamitatis exem-  
plum, cùm ad terrorē valeret;  
plus tamen constantiæ turbibus ple-  
xisque ingessit. Lovaniī, conversâ  
verum facie, à libris ad arma, à gym-  
nafis ad mœnia itum: Litteræ non-  
nisi bellum erant. Alii corpore, alii  
ingenio prompti, publicam fortu-

nam ad examen vocare, metum in constantiam vertere, virtute perire malle, quam deditio ne periclitari. Præsentia Principis in fiduciam salutis valuit. Tempestivo igitur operæ pars urbis, quæ orientem spectat, & influenti amne secta hosti objiciebatur, muniri cœpit. Portæ singulæ gemino in angulum coeruleo aggere, tanquam propugnaculo, & fossâ ambiente, protectæ: quod genus valli Semilunas militia hodie nostra appellat. In ipsis mœni bus terni tormentis collocandis plutei erecti: reliqua ad defensionem murorum impigrè comparata. Præter cives & rusticos, singuli quoque Religiosorum hominum Ordines assignata sibi opera, æmulatione quâdam ingenii industriæ que emoliti. Non labor, non sudor gravis erat, quamvis insolitus: in communī motu nemini jam vacabat desidem esse. Alii imperio, alii

obsequio alacres, vel jubere nitebantur, quæ præstanta erant; vel præstare, quæ jubebantur. Ipse etiam in omnia intentus, exploratum Princeps munitiones, catervâ Nobilium stipatus, ibat. Recreatus autem sedulitate fodientium, lxxum ubique ac ridenti similem vultum explicuit, salutationis quoque gestu Sacrae Ordinis viros prosecutus. Spectantem, an spectatos potius mirer? Diceres, vel à manibus Deo dicatis surgere felicius ageres, vel ipsa potius pio labore munimenta consecrari. Auriacus interea perculsus terrore Dieftemienses, quia patrimonio suos, & mox Artschotanos, quia belli fortunæ relictos, in dditionem accepit. His utrisque opes, leges, religio salva; sed fallace, aut suspectâ indulgentiâ, quæ velare servitutem specie libertatis solet. Vtraq; nunc ergò invadentis fortuna timenda erat:

erat : prospera ob onerum incre-  
menta, sumptuum prætextu: ad-  
versa, si coactus miles discedere,  
direptione fugam incendioque  
præveniret. Vnde hærente hoste,  
nulla deinceps felicitas: abeunte,  
nulla securitas. Id verò omnino  
erat, non premi tantum, sed oppri-  
mi, & post vibices ac vulnera misé-  
rius perire. Erexit per hos etiam  
dies omnium animos militaris  
quædam Marchionis Aytonæ se-  
dulitas, nunc castra, nunc mœnia,  
& adjecta mœnibus valla obequi-  
tantis. Hic vir, quia sine fastu, amo-  
re dignissimus erat, alacer semper,  
blandus, benignus, candidus, &  
tanquam omnium sumeret. vul-  
tum, suum omnibus induerat.  
Cuncta, quasi unum aliquod age-  
re, unus etiam sapientiæ studiis, &  
divinæ mentis capacitate, par cun-  
ctis esse. Sanè quantum Litteris res  
bellicæ debeant, cum dicere posset,

ostendit; fortis, quia eruditus; armatus, & Musas respiciens: quas armis se adversus minantis barbariem hostis, sævitiamque, etiam me audiente, sp̄opondit defensum. Ipsius sic quidem audire Principis vocem visus sum, urbem Academiamque complectentis; in quarum sinu provinciæ totius & fama & fortuna foveretur. Hoc igitur ille affectu motus, etiam videre Academam voluit: ad quam xiv. Kal. Quintilis cum tota nobilitate venit, Bibliothecam, & familiam simul meam præsenti numine dignatus. Ut in antecessum moneret, Martinus Daxpius, Ordinis S. Iacobi Eques, pro affectu in me suo curavit; vir heroicâ plenus virtute, summam in Consiliis Regiis Secretisque auctoritatem modestissimè sanctissimèque obtinens; cuius prudentiâ ac curâ felix bellum est; humanitate ac patrocinio uberior-

res inter ipsa arma elegantiae, artes, Litterae. Horam igitur à meridie circa tertiam Principi, Arcem ingredienti, Praefecturæ meæ obsequia delaturus, occurro. Præcedebant Optimates. Nobilesque ingenti agmine, ipsi Aulæ, & Militiae Praefecti : quos recensere omnes, longum, & ab instituto meo alienum sit. Inter Marchiones Aytonam, Estensem, Oranium Legatus ibat Regius, Christophorus Benavidius Benaventius, Regem ipsum, quem in Serenissimo FERDINANDO videbam, titulo ac dignitate representans. Magna is nuper militiae Belgicæ pars, omnem indigete Litteris magnitudinem egregio exemplo commonstravit : magis etiam, cum Venetiis, ac deinde apud Ludovicum Galliæ Regem, ambiguis temporibus, excellentissimum munus suum prudentiâ & facundiâ illustraret ; tantâ integritate

tate animi, libertate ingenii, dexteritate judicii agens omnia, quantum meliora olim saecula caelo consecrassent. Principem vero Magno jam receptum atrio, simplicissimis virtutum vitiorumque imaginibus ornato, quia alio non licuit apparatus, verborum, quae repræsento, simplici officio veneratus sum:  
„Hæc illa Arx est, Serenissime  
„Princeps, quæ Comitum, atque  
„inde Ducum aliquando sedes,  
„Cæsaris quoque appellatione,  
„quod illustrior origo fingeretur,  
„celebrata: gemma, ut sic dicam,  
„in urbe, postquam exteriores  
„muri, anno 80. CCC. LVII. annuli  
„formâ circumducti. Sic nimirum  
„habitare soliti, qui alios regerent,  
„cum adhuc parvi essent: magni  
„ac sublimes, si lare ac domicilio  
„eminerent. Quid tamen est: non  
„locus Principem, sed Princeps  
„locum facit. A Sole cælum pul-  
chrum

„ chrum est, & quicquid cælo con-  
„ tinetur. Ut etiam templum  
„ quodcumque, non spatio aut si-  
„ tu, sed religione sacrum : ita pa-  
„ latium, non struentis ingenio aut  
„ arte, sed habitantis majestate pa-  
„ latium est. Hos muros, has tra-  
„ bes, hæc tecta ac laquearia alii  
„ considerent: altior Serenitatis tuę  
„ contemplatio est, & ad loci ge-  
„ nium, his omnibus illustriorem,  
„ directa. Iam migraverant Prin-  
„ cipes: horum tamen filii h̄ic edu-  
„ cati ; quorum ultimus CAROLVS  
„ proavus tuus, fato magnus, cùm  
„ parvus ætate esset ; Orbem terra-  
„ rum complexus animo, cùm Ar-  
„ cis unius rudi domicilio, Littera-  
„ rum capessens studia, claudete-  
„ tur : Rex & Cæsar futurus, ut  
„ omnia tandem despiceret ; ad an-  
„ gustias, sed sacras, victoriis om-  
„ nibus ac triumphis augustior re-  
„ diret. Quid verò non imminuit  
dies ?

## 24 HISTORIÆ BELGICÆ

„ dies? Ad ruinas quoque Aix ista  
„ redierat , senii vitio , & injuriâ  
„ temporum : sed novâ , quantum  
„ fieri potuit, industriâ meâ hacte-  
„ nus instaurata, priscam fortunam  
„ Principum, Serenitatis tuæ ocu-  
„ lis subjicit. Spectari digna , quia  
„ instaurata ; deinde , quia Regia,  
„ imò tua ; denique , quia Serenissi-  
„ mis Archiducibus ALBERTO &  
„ ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ ali-  
„ quando lustrata. Dum atria, con-  
„ clavia, cubicula, & quicquid rui-  
„ na fuit , ostensurus sum , opes  
„ quoque mcas , quæ liberi sunt ;  
„ arma, quæ libri, audebo exhibere.  
Dixeram , & placere sibi officium  
Princeps blandâ voce ac vultu re-  
spondit : Ducerem ad singula ,  
gratum ubique sibi spectaculum  
fore. Ante omnia igitur tem-  
plum , mox interiora domîis , to-  
tamq; adeò loci amœnitatem per-  
lustravit. Bibliotheca , spectaculi  
velut

velut bellaria fuere, quæ Magni  
atrii muro solidissimo suspensa, &  
in classes suas distincta, ad pedes  
circiter centum, quinis loculamen-  
torum ordinibus procurrit. Videre  
libros satis non erat, quosdam le-  
gendo Princeps delibavit. Et quid  
pulchrius? Prossus, ut pretium da-  
ret tempori, fructum ingenio; di-  
scere voluit, non tantum oblectari.  
Ergo tempora me ex tempore  
computantem audiit quoque, ad-  
miratus fieri ex facili posse, quod  
non sine longo labore aliorum cal-  
culi efficerent. Quæ in vitris præ-  
terea, speculis, & Mathematicorum  
lineis curiosa erant, tam facile ce-  
pit, quam avidè inspexit: pari inge-  
nio ac peritiâ, ubi plerosque, etiam  
exercitatos, hallucinatio forte, aut  
error detineret. In exitu tandem  
uxor mea, & filii simul juniores,  
imò filiæ, Principi ad genua, sed  
et secundo silentio venerunt. Ego  
vocis

„ vocis vicem supplens , laetent  
„ alii , inquam , Serenissime Prin-  
„ ceps , opes suas , avaritiæ mate-  
„ riam : me hæc mea quæ adsunt , &  
„ non adsunt , pignora divitem fa-  
„ ciunt , octo filii , sex filiæ , & feli-  
„ cem ostendunt . Possum , Dei  
„ munere , Regi , & Reipublicæ ,  
„ etiam inter tristia fortunæ obsta-  
„ cula , dare , quod omni censu , om-  
„ niique tributo melius est : mares  
„ Regi , ut sagi aut togæ auxilia  
„ sint ; feminas Reipublicæ , ut vel  
„ sobole fœcundæ fiant , si matris  
„ nomen , & fructus matrimonii  
„ placet ; vel virginitate floreant , si  
„ Deo malint , quām homini nube-  
„ re . Interim , qui mei & meæ sunt ,  
„ agnoscunt se Regis esse , quia mei .  
„ Sed quæ à patre accipiunt vitæ  
„ virtutumque alimenta , Regi , &  
„ sic Serenitati tuæ , Regem repræ-  
„ sentanti , debere se profitentur .  
„ Profiteor ipse , & offerre quan-  
„ tum

„tum possideo , commendare  
„quantum ago , audeo : ausurus  
„semper , quantum honesti ratio  
„præscribet. Humaniter hunc et-  
jam loquentis cultum Princeps ad-  
misit, reductoque ad pontem gres-  
su, urbem, vespertinâ jam lucis um-  
brarumque varietate blandientem,  
& quasi pictam, contemplatus est:  
perinde , ac si voluptatis quodam  
corollario oculos animumque fa-  
tiaret. Hinc provolante ad equos  
suos Nobilium agmine , rhedam  
cum familiaribus conscendit , &  
tanquam non abiret , avectus est;  
relictis vestigiis, quæ semper vene-  
remur. Hostis intereà , cùm circa  
Thenas , non iam oppidum , sed  
bussum, aut cadaver hæreret, stultâ  
cruelitate fortunam metiens, ter-  
rore ad famam nequicquam usus,  
in vicinos quoque pagos, villas, ca-  
stella militarem licentiam effudit.  
Njus tamen maximè urbis fatum,  
velut

28 HISTORIA BELGICÆ  
velut exemplum erat, & in contrarium valuit; quod exhorrescere aut exsecrari omnes, qui boni; sanguine ipso & spiritu à se avertsum ire, qui constantes. Hos in viris animos fuisse, quid mirum? feminæ ipsæ quodammodo viri fuerunt, vilem jam ratæ vitam, quæ extra contumeliam non poneretur: paratæ age-  
te potius omnia, quam pati, quæ omni crudelitate sæviora erant. In-  
ter Gallos Batavosque de belli ite-  
rum summa disceptatum. Isti, tan-  
quam in uno oppido Belgarum  
omnium debellati essent animi,  
certâ sibi victoriâ non unam pro-  
vinciam promittere: hi suspectam  
adhuc fortunam habere, ingrauef-  
cente quotidie annonâ: quæ ut in-  
strueretur, itineri necessaria, dies  
,, iterum aliquot insumpti. Ten-  
,, tandem quamprimum Diliam,  
,, Auriacus censuit: eo superato,  
,, reliqua in proclivi confilia, &

arma

,,arma fore. Suum hunc Grudii  
annem propriè appellant : is alveo  
exiguus, aquis præceps, c̄ nemore  
Nivellensi exortiens, variis hinc in-  
de influentibus rivis auctus, Lova-  
nium gratus hospes subit, medium-  
que interluens urbem, ac deinceps  
navium patiens, prope VVerchte-  
num pagum Demeræ miscetur.  
Æstate variis in locis vado transfiri  
potest ; hibernis interdum nivibus  
imbribusque adeò excrescens, ut  
longè latèque stagnet, speciemque  
maris faciat. Hoc nunc unicum  
provinciæ munimentum flumen  
erat, alibi quoque vallis aggeribus-  
que tempestivè ab incolis obse-  
ptum ; sed hosti tentandum, ut co-  
piæ ac tormenta trajicerentur.  
Quid dolus possit, sed malus, hic  
etiam audax improbitas ostendit :  
Aquæ nimirum igne nobis ereptæ,  
& viam hosti per flumen flamma  
aperuit. Emissariorum id facinus

D fuit.

30 HISTORIÆ BELGICÆ  
fuit, in urbe degentium: qui xii.  
Kalend. Quintilis, nocte intem-  
pestâ, ut castra Regia distingerent,  
ad moto horreis stabulisque passim  
fomite, gravissimum incendium  
excitârunt. Viginti & amplius do-  
mus, in platea Thenensi, ubi plus  
pagi, quàm urbis erat, correptæ,  
nocte quasi in diem versâ: cùmque  
tristiorum tenebris lucem nemo  
non pavesceret, vario omnia tu-  
multu miscebantur. Alii arma ca-  
pere, alii animos amittere; alii ad  
mœnia, alii ad incendium procur-  
rere, sive restinguendi caussâ, sive  
spectandi; alienos lares, suos bonus  
quisque putare. Sacrati Ordines,  
quorum hæc opera erat, præstò es-  
se, detractis alibi tectis, alibi scalis  
admotis, manu, aquâ, terrâ furo-  
rem ignis compescere. Tota etiam  
in motu militia erat. Princeps ipse,  
cedente jam nocte magis quàm  
flamnâ, cum equestri catervâ mœ-  
nia,

nia, & loca incendio proxima obi-  
vit, infortunioq; civium indoluit.  
Dolo, non casu arsisse Vrbem, in-  
ventus non uno in loco cum stupra  
incensa pulvis nitratus indicabat.  
Eadem etiam horâ, quâ ignis pri-  
mum illuxit, motis Diliam versus  
castris, hostes profectos esse, posteâ  
deprehensum. Ut amnem igitur si-  
ne damno & impedimento supera-  
rent, celeritate usi sunt; quæ exi-  
guis etiam viribus maximarum  
momentum adjungit. Paucæ præ-  
missæ cohortes adversam ripam, &  
imminentem ripæ collem, non  
procul Floridæ vallis Monasterio,  
summo mane. occupant: fit velita-  
tio, sed hosti felicior, loci benefi-  
cio. Tergeminò mox injecto aquis  
ponte, copiæ omnes transmittun-  
tur. Nostris ad pugnam ardebant  
militibus animi, sed tempestivo ac  
salubri consilio repressi. Quia infe-  
riores vires erant, tutissimus vin-

D z. cendi.

cendi modus fuit , non dimicare.  
Placuit igitur, non bellum tantum,  
sed hostem bello ducere ; non pug-  
nando, sed cunctando ad victoriam  
progredi ; ratione, non casu trium-  
phum invenire. Quippe moram  
sine damno , non sine periculo  
prælium iniri. In alieno solo , &  
destitutum annonâ hostem age-  
re , inediæ , morbis , exitio vici-  
num. Contrà exercitum Regium  
in provinciæ finu blandè ali, tan-  
tò etiam facilius, quantò minor  
numero , copiosior robore habe-  
retur. Hunc unum , velut spiri-  
tum urbium, omnisque fortunæ  
censeti ; quo salvo , aliquid quasi  
morbis , nihil periculi sustineri.  
Annitendum summâ curâ, ut ipsa  
corporis Belgici vitalia ac visce-  
ra opportunis subsidiis conserva-  
rentur, foventur solatiis : hinc  
ad membra omnia , sive affecta,  
sive languentia vitam ac vigo-  
rem

,, rem derivari. Sed quosdam tam  
men habere sollicitos Lovanium  
potuit, An recedente exercitu , to-  
,, lerandæ obsidioni par foret. Præ-  
,, fidio haud dubiè militari instru-  
,, endum esse : sed hoc si magnum  
,, effet , & quantum loci vastitas  
,, posceret, enervari peditatu exer-  
,, citum ; sin parvum , cum majori  
,, urbis discrimine exitio exponi.  
In his consiliis unus potissimum  
Princeps, quâ curâ sollicitus, cù fide-  
duciâ animosus , fortunam intel-  
lexit Regiam, & suam. Prorsus tan-  
quam numinis instinctum seque-  
retur, opportuno oppidum firmare  
milite voluit, belli, & famæ causâ:  
,, Defendi, ad bellum facere ; ad fa-  
,, mam verò, non deseriri. Vtrumque  
,, trium millium numero præstari,  
,, qui sine damno à reliquo exerci-  
,, tu secerneretur. Non simpliciter,  
,, hoc oppidum, oppidum, sed ca-  
,, put esse ; unius exemplum cæte-

,, ris in fatum computari, fatum in  
,, exemplum. Peculiariter etiam ra-  
,, tione, in una hac civitate duas  
,, esse; quarum altera oppidum fa-  
,, ceret; altera, Academiæ nomine  
,, inclyta, & velut sacra, universam  
,, penatibus suis provinciam occu-  
,, paret. Sustinuisse aliquando im-  
,, petum & arma hostium, cum in-  
,, ermis esset: suo etiam genio tu-  
,, tam fore, si pugnare auderet; au-  
,, suram verò, si non suis tantum vi-  
,, ris viribusque niteretur. Trahi sic  
,, interim hostem, & in penuriam  
,, attrahi: eam obsidenti obsidio-  
,, nem fore. In hanc sententiam  
bono publico itum, reliquusq; dies  
castris movendis datus. Sub vespe-  
ram demum Princeps subsecutus  
est, inspectisque legionibus, tale  
urbis præsidium dedit, ut si robur  
spectes, instar exercitus esset; con-  
stituto jam Præfecto, qui exopta-  
tissimus esset, qualemque in exem-  
plum

plum virtus formaverat. ANTONIUS Baro GROBBENDONCQVIUS  
fuit, regendi artes longo belli usu  
adeptus, ipso nomine etiam apud  
hostes clarus: qui fortior dubium,  
an prudentior, maximis se parem  
sæculi sui viris fecit, unam tandem,  
post quinquaginta septem datos  
Regi annos, defendens urbem,  
quamvis bello ineptam, quâ omnes  
conservaret. Tribuni verò, è toto  
exercitu, tanquam magno selecti  
opere, virtute & laudis studio inter  
se æmuli, affectu concordes, suam  
quisque legionem in oppidum in-  
duxeré: Ioannes Conradus Auber-  
montius, Toparcha Ribaucour-  
tius; Lancelottus Grobbendonc-  
quijs, Baro VVefemalius; Thomas  
Prestonius, Vicecomitis Gorman-  
stonii filius, ipsâ jam famâ celebres,  
rebus nonnisi magnis arduisque  
nati. Primæ duæ Gallobelgarum  
erant, perquam strenuæ; quarum

36 HISTORIÆ BELGICÆ  
altera obsidione nuper Silvaducensi, altera Trajectensi exercitata: tertia Hibernorum, etiam tirocinio suo animosa & ardens. Quibus cohortes Germanicæ è Legione Embdana validissimæ, ductore Adolpho Einhoutio, imperterriti pectoris viro, & hominis quasi conditionem egresso, accessere. Equites pauci, qui nec totam turmam facerent; sed si Præfectum respicias, Philibertum à S. Quintino, plus quam turmam. Grobbedoncquio injunctum, ut si urbem, muris quidem & ipsâ magnitudine debilem, cæterum imperantis, ac militum virtute munitam, hostes adorirentur, ad aliquot saltem dies tueretur, dum è Germania, quæ appropinquabant copiæ, suppetias venirent. Res ardua omnibus visa: sed uni illi novum non erat, fortem & inconcussum esse; familiare autem haec tenus, conatus hostium ac  
vires.

vitæ, etiam minoribus armis sustinere. Senium, non impedimentum virtutis, sed magis testimonium erat: ipse post annos juvenis; quia & in filio Lancelotto, & in affini Aubermontio, tanquam filio, floridâ virtute velut spirans, animum cum ipsa quotidie ætate attollebat. Vrbs quidem salubri admodum loco, & inter colles sita; vasto mœnium flexu, velut in orbem quater mille passuum ambitur: paci, non bello facta; hortis, pomariis, agris ad delicias usque distincta. Diliam amnem, Furamque rivum à meridie cataractis suis admittit, varioq; ad incolarum usum flexu dispensat. Sed major iste hunc minorem, per divortia, & Mæandri more fluens, communi tandem alveo recipit, & non procul ab Arce in Septentriōnem secum evolvit. Alibi elegantia est, hic amœnitas; alibi magnificētia, hic modestia; imò alibi ar-

38 HISTORIAE BELGICÆ  
ma & vires, hic doctrina & animi:  
quæ omnia loci magnitudine, &  
vitiorum angustiis continentur.  
Plus etiam in urbe agri, quam ur-  
bis est; circà, plus mœnium, quam  
à civibus defendi queat. Muri vallo  
continuo instructi, planisque su-  
pernè ornati, turres æ qualibus toto  
circitu intervallis effterunt, dimi-  
diati circuli formâ in fossas promi-  
nentes, ad majorem hodie orna-  
tum quam usum. Ex his quædam  
semirutæ; sed terreâ loricâ tormen-  
tis recipiendis, & suggestuum loco.  
Vna, mole vasta, opere solida, lapi-  
de candida, arte pulchra, & ipso  
quoque solo ac situ eminens, me-  
dio inter Occidentem & Septen-  
trionem tractu, bello opportuna,  
quia & specula & tutela; solo no-  
mine vilis, quia à sumptu quasi su-  
pervacuo vulgo appellata. Græci  
~~παραγνάλωμα~~ dicerent, quemadmo-  
dum, Satyram scribens, ingeniosissi-  
mè

simè Nannius aliquando somniavit. Portæ octo, totidem urbis partes, insigni pleræque structurâ, & tanquam arces: quæ à viarum discrimine nomina sortitæ: Arschotana, Diestemensis, Thenensis, & Parcana, à Septentrione in Meridiem; Hevercana, Bruxellensis, Vilvordiana, sive Vinarum, & Mechliniensis, à Meridie in Septentrionem. Prima igitur Grobbendoncquii cura fuit, stationes suas militibus assignare. Quoniam quaterna agmina erant, portæ bis quaternæ; binæ singulis & adhærentia mœnia videbantur cedere: sed ne diversitas loci discrimin laboris, aut periculi faceret, sorte, non consilio actum: ita enim tollebat casus, si quid distributio pectaret; omni subductâ. & offendæ & invidiæ occasione. Porta sic quidem Arschotana, & Diestemensis, divisusq; mœnium limes, Einhou-tianis

40 HISTORIA BELGICÆ  
tianis obtigit; Thenensis, & Par-  
cana VVesemalianis; Heverleana,  
& Bruxellensis Ribaucourtianis;  
denique Vilvordiana, & Mechli-  
niensis Prestonianis. Cautum inte-  
rim, ut unus omnium locus esset, &  
sive occasione invitanti, sive us-  
genti necessitati, tanquam legi le-  
giones satisfacerent, sibi invicem  
auxilio essent, suum quisque mu-  
nus communi periculo definiret.

„Quippe, unam ubique stationem  
„esse, unam virtutem, unum mili-  
„tem; de una omnium caussa &  
„salute agi; quæ nec locum, nec  
„arma, nec gentem discerneret.  
Cum tota deinde videretur belli  
moles Hibernis præcipue incum-  
bere, qui vel tirones, atque adeò  
adolescentes erant, vel nullam cer-  
tè obsidionem experti; maluissent  
nonnulli, consilio quam sorti sta-  
„tiones commissas esse. Peti mœ-  
„nia, ubi hostis debiliora sciret,

aut

,, aut faciliora aditu ; peti militem,  
,, qui nulla haetenus defendisset,  
,, armorum usu, & arte dectitutum.  
Prestonius, etsi genium gentis suæ,  
& maximè legionis nosset ; alibi  
robora, hic etiam rudimenta ma-  
tura esse ; ne ulla tamen perfecti  
Tribuni partes omittat, suos om-  
nes convocat, & militari oratione  
,, accedit. Sorte data est statio,  
,, Milites, quam, si fortes estis, imò  
,, si mei, ex voto habetis. Vestrum  
,, est, ostendere, quid tota possit  
,, natio, quid in natione Religio,  
,, Virtus, Fides. Casum Deus regit,  
,, qui ut claros vos faceret, & glo-  
,, riâ dignos, periculofissimo loco  
,, collocavit. Pauci estis ; sed vel in  
,, laudem, vel in contumeliam ce-  
,, det omnium, seu fortes fortuna,  
,, seu ignavos deprehendet. Hæc  
,, mœnia vobis defendenda sunt ;  
,, munita, si fortes eritis ; debilia si  
,, ignavi. Hinc arcendus hostis, qui  
non

„ non potest, nisi culpâ vestrâ vi-  
„ ctor esse, ut crudelis sit; qui ad-  
„ huc nescit pari vigore in muris  
„ Hibernos, ac in campis pugnare;  
„ facilius mori posse, quam pedem  
„ referre. Pugnate, ut pii sitis; tem-  
„ pla & aræ defendantur: ut Hi-  
„ berni sitis; hoc enim erit, pios es-  
„ fe. Si quis totam induere virtu-  
„ tem non potest, etiam arma exu-  
„ at, ac discedat. Non censeo mi-  
„ lites, nisi qui pugnare audeant;  
„ non meos, nisi qui audeant vin-  
„ cere. Loqui ipsam virtutem pu-  
tares. Sed ultima imprimis verba,  
animos omnium velit tela quæ-  
dam penetrârunt. Vno igitur velut  
ore, & quasi vigore respondent,  
„ Se gentis suæ, muneris, necessita-  
„ tis, memores fore; vim omnem  
„ paratos hostium constanti virtu-  
„ te & vestigio excipere; ante ocu-  
„ los decus esse, quod Patriæ de-  
„ barent; Deum esse, cuius cau-  
„ fam

,, sám defenderent ; ducem esse,  
,, cuius non minùs exemplo quám  
,, sermone erecti, labores , pericu-  
,, la , & quicquid militiâ juberet,  
,, amplecterentur. Addebant , Vi-  
,, tam sanguinemque suum Regi &  
,, Religioni devota esse ; nequis in  
,, urbem hosti aditus pateat, se post  
,, arma, etiam cadavera objecturos.  
Fortiter dicere armati potuere, for-  
tius agere. Sed si strenuos esse, Hi-  
bernorum est, cæteri quoque qua-  
cumque natione milites , & quot-  
quot urbem propugnârunt, virtute  
Hiberni, & plusquàm Hiberni é-  
rant. Sed consilii ubique rationem  
tempore & occasione ponderan-  
dam esse , ipsum hîc postea gravi  
momento periculum docuit: quod  
cùm præcipue stationi Ribaucour-  
tianæ ac Prestoniarum immineret , vi-  
sum Grobbendoncquio , miscere  
legiones , vitiumque supplementis  
fulcire & animos pugnantium &  
corpo-

corpora; ut interposito quietis intervallo, & labore mitigato, non plures tantum, sed novi quotidie in hostem irent, pergerent pugnare, tanquam semper inciperent. Einhoutius quidem, cùm fatis circa portam Aischotanam, montemque a Cygnis nominatum, naētus esset negotii, suam ipse retinuit stationem; transire autem ad Hibernos aliquam Germanorum suorum permisit manum: qui et si moribus & sermone diversi, ita animis tam ac virtute coahuere, ut unum militiæ corpus, unus spiritus, ac fervor videretur. Pauci veterani tironibus mixti, quia periti audaciam sociorum regebant, veteranos omnes fecerunt. Ribaucourtius igitur Vvesemaliusque onera stationis, opera, pericula, æquali interesse partiti munere, alternas singuli in suburbanis ad portam Bruxellensem munitionibus excubias sustinebant,

stinebant, suæ stipati legionis milite, sociæ subnixi. Quæ laborum vices, tanquam novæ quotidie vires erant, & quâdam virtutis æmulatione stimulatæ, hosti formidolosæ. Ergò, ut felicior pugna esset, aggeres aliis alii additi, imò extensi; & pugnatum perpetim, ut extenderentur. Quid non industria potest? Quæ infirma principiò erant valla, firmissima mox reddita, tutamq; aduersus Gallos eo loco munitionem effecere. Publicavit hæc tum industria virtutem Propræfecti Legionis VVesemalianæ Bervoetii; quem velut novum belli decus & civitas admirata est, & castra hostium timuerunt. Cives quidem tam luculentō aucti præsidio, erectique, non spem modò, sed fiduciam urbis conservandæ assumpsere. Frequentes igitur ad arma, & sub signa veniunt, in quinque pridem cohortes distributi. Ductores

46 HISTORIÆ BELGICÆ  
res è Nobilitate ac Patriciis , &  
quemadmodum hactenus fuerant.  
Primæ quâdam quasi prærogativâ  
Io. Vandervorstius , VVingii To-  
parcha , præfuit , illustri affinitate  
Tempeliis insertus: quo etiam fa-  
vore merita sua fulciens, ad Prætu-  
ram urbis venit. Rerum usu in pe-  
regrinationibus , armorum in ca-  
stris formatus , civilem domi pru-  
dentiam hausit, tantò alacrius Regi  
ac Reipublicæ se impendens, quan-  
tò tutius, amari ab omnibus quâm  
timeri, quantoqué pulchrius, man-  
suetudine quâm severitate legibus  
publicè, conscientiæ privatim satis-  
facere, nomen utroque ac digni-  
tatem tueri. Præfuit secundæ Io.  
Borghreeffius, qui naturæ & inge-  
nii donis boni civis bonique Patri-  
cii laudem complexus, innato can-  
dore animi, libertatem gratiæ præ-  
ferens , rempublicam sibi mavult,  
quâm se reipublicæ obligare. Præ-  
fuit

fuit tertiae Alphonsus Fuscus, Fa-  
bii, viri militiâ clari, & de urbe  
aliquando à sc̄ recta & conservata  
optimè meriti, filius; qui paterno  
dotatus genio, suam propriè putat  
laudem, quam familiæ adjungit.  
Præfuit quartæ Arnoldus Vterhel-  
lichtius, felici tranquillitati dedi-  
tus, & sic suus, inter cives nobilem  
se ostendit, inter nobiles civem.  
Præfuit quinæ Dominicus Da-  
neelsius, consulatu non unius anni  
clarus, industria & humanitatis of-  
ficiis in republica junior consecu-  
tus, quod exercitatæ aliorum se-  
nectuti arduum aliquando fuit.  
Sed hic per id tempus morbo de-  
tentus, vices suas optioni deman-  
davit. Tertia, quæ Fusciana, ex ad-  
venis paullò pòst, & relictis in urbe  
sine equis equitibus aucta, quin-  
gentorum implebat numerum: re-  
liquæ minores. Ordo quoque ex-  
cubiarum, deprehenso, totam obſi-

48 HISTORIÆ BELGICÆ  
dionis vim Occidentis lateri in-  
cumbere, non loco tantum, sed &  
tempore variatus. Prima cohors  
**Curiam** primâ nocte, atque medi-  
tullum urbis servare jussa; secunda,  
mutorum tractum portæ Bruxel-  
lensis; tertia, Vilvordianæ; quarta,  
**Mechliniensis**; quinæta, ut auxi-  
lium cæteris esset, Diestemienfis.  
Secundâ nocte prima cohors se-  
cundæ stationem subibat, secunda  
tertiæ, tertia quartæ, quarta quin-  
æta, quinæta primæ: quæ vices fa-  
cili deinde in orbem transitu de-  
ductæ, in proximum unaquaque  
locum quotidie succedente. Ut et-  
jam utiliter occuparentur omnes,  
ubi nemo otiosus erat, reliquiæ  
agrestium mercede conductæ, &  
æquali cohortibus civium numero  
adscriptæ; ut foctionibus aliisque  
militiæ operibus vacarent, & ad  
manum ubique essent. Sed ita est:  
unus homo unum duntaxat inge-  
nium,

nium, unumque corpus habet. Ut plura sciat tamen, agatque, aliorum nunc consiliis, nunc manibus utitur: quo etiam sensu Poëtarum fabulæ de Geryone, Gyge, Briaréo tolerantur, Grobbendoncquiūs quidem, ut plura unus sciret, ageret omnia, Grobbendoncquiūs erat. Etenim Senatu quodam militiæ instituto, consilia sua Tribunorum committebat prudentiæ ac fidei; decreta ac jussa per delectos sibi viros urbis & belli peritos, exsequebatur. Primas hic facile partes promptissimasque obtinebat Ioannes Iacobus Fuscus, Fabii filius natu maximus, Sarti-Guilielmiani Toparcha, celeberrimam parentis famam munere & virtute militari attollens. Quippe Supremus in urbe vigilum Præfectus, verè vigil, & civem se, & militem, & nobilem præsttit; sui obliviscens, ut omnium memor esset; vix cibum aut

somnum capiens , nisi furtim & coactus : raro, & pugnante in naturam exemplo, quo VITAM virosum fortium VIGILIAM esse profiteretur. Singulari etiam industriâ civibus militibusque se impendit hoc tempore, apud Grobbendoncquium quasi Adjutorem agens, Io. Baptista Vandervorstius , Ægidii, Toparchæ Loonbecii, saepius cum Iaude Consulis, filius, pulcherrimis animi corporisque dotibus florens, ac centurionatu egregiè nuper perfunctus. Is privatam, & felicem agens vitam, publico beneficio Patriæ profuit ; miles maxime , cum non esset , & solus in stipendum honor veniret. Ostendit, non defuisse Grobbendoncquo manus aut brachia, cum impeditæ essent ; nec pedes aut tibias , cum vulnere inveterato tenerentur. Curam deinde & inspectionem operum militarium peculiarem Guilielmus Muetius

Muetius suscepit, vir naturâ promptius industriusque; sed protervæ quorundam imperitiæ coercendæ necessarius, qui cum privato imperio, publico impedimento, munitionibus paßim se ingerebant, noxii, ubi molesti. Consules verò hoc anno apti imprimis utilesque Reipublicæ, & quasi æmulatione quâdam, alter, ut solet, è Patriciis, alter è plebe. E Patriciis, Franciscus à S. Victore, Eques, Toparcha Bommioletius, non sine victoriæ omne, quod nomine continetur; non sine Divi auxilio, quod cælo promittitur: vir ingenio & Litterarum studiis elegans, moribus suavissimis, quem se dignum curia invénit, fama complexa est. Patrem vide, & filium laudabis; filium vide, & patrem agnosces. Alter alterius imago est, & plenam uterque virtutem, prudentiamque exprimit. Pater, Grollæ aliquando Præ-

fectum agens, armis suis ostendit, quomodo urbes gubernentur; Lovani, quomodo defendantur: filius suis nunc consiliis & auctoritate facit, quod ille fecerat, & derivatam ad se gloriam novâ meretur, quia accumulat. Alter è plebe Consul, Petrus Paludanus, gnarus, providus, serius, iis demum virtutibus, quæ Patricium facerent, non ci- lium tantum, sed militarium quoque officiorum capacem ac peritum. Diceres verò tot Consules fuisse, quot in Curia Senatores sunt. Primi quidem, dignitate Iudices, quos *Scabinos* dicimus, numero Septem: Martinus Lievenius, Razo Gravius, Ioannes Borghreeffius, Antonius Fredericus Dielbecius, Toparcha Attenhovius, Nobiles: Guilielmus Vanderheydius, è me- dio ordine: Franciscus Stocman- nus, Henricus Hulstius, ex infimo. Secundi verò, Consiliarii nomine

& munere, partim Patricii, partim Plebeii. Patricii, decem: Ægidius Vandervorstius, Toparcha Loonbecius, Carolus Pullius, I.C. Ludovicus Borghreeffius, Cornelius Roeloffius, Franciscus Daneelsius, Georgius Bucquius, Dionysius Hoegardius, Carolus Fuscus, Philippus Batsonius, in locum Philippi Schori, ante obsidionem extinti, surrogatus, Ioannes Baptista Gravius, Razonis filius. Plebeii, novem: Ioannes Bercmannus, Petrus Meerbecius, Ioannes Villemaerius, Lambertus Minnertschaus, Baptista Vleeshoverius, Gerardus Kerincsius, Iacobus Crolius, Petrus Beginnemaquerus, Petrus Ramäquerus. Syndici accedunt, magnamque curiæ partem constituunt, Ioannes Silvius, Eques, Ioannes Schorenbrootius, I.C. ingenii uterque promptitudine ac prudentiâ ad rem publicam, humanitate ad

54 HISTORIAE BELGICAE  
privatam factus, de me & studiis  
meis peculiariter meritus. Item Se-  
cretarii, Govartius Typotius, Fa-  
bius Mutsenius, Carolus Huletius,  
Io. Franciscus Vroeyus. Quæstores  
denique, Ioannes Villemaelius,  
I. C. & Petrus Riverius. Quorum  
mihi omnium nomina, & huic scri-  
ptioni velut ornamenta sunt, suam-  
que singula laudem non intermo-  
rituram adferunt. His sanè fulcris  
stetit Civitas, cùm in periculo ver-  
saretur maximo, & posset cadere:  
his viris, à metu ad securitatem, à  
solicitudine ad salutem, à labore ad  
gloriam surrexit. Vnus omnium  
conatus erat, in commune confu-  
lere, tempestivè curare & anniti, ut  
quæ ad obsidionis molem sustinen-  
dam facerent, in promptu essent;  
militi cibum, potum, pecuniam  
suppeditare; ea omnia agere, quæ  
præsens necessitas posceret; non  
consilio tantum, sed exemplo con-  
stantiam

stantiam profiteri. Hac imprimis  
,, opus erat, ut sciret populus, Pri-  
,, mani salutem esse, salutem non  
,, abjicere; defendi urbem posse, si  
,, essent qui auderent regere; opus  
,, virtute esse, fortunam sequi. Al-  
tera civitatis pars, & quasi anima,  
Academia, etiam vigore suo usq; est.  
Positâ togâ, sagum induit, & ut  
prorsus Palladem suam exprime-  
ret, armata fuit. Rectorem quoque  
hoc tempore habuit, qualem opta-  
re poterat, Antonium Davéum, si  
genus species, nobilem; si vitam  
doctrinamque, Philosophum, & ad  
regendum quasi factum: qui pru-  
dentiâ suâ & auctoritate, consilio  
& imperio, curâ ac studio, tantò  
animosius publico obviâ pericu-  
lo ivit, quantò difficilius erat, in  
gravi rerum perturbatione, omni-  
bus majorem esse. Primum igitur  
cum Serenissimo Principe de statu  
urbis & Academiæ, semel iterumq;  
egit;

egit; Palladis populum ad arma edicto convocavit, armatum in scholis publicis ipse lustravit, Præfectos constituit, & quæ in Republica Princeps, in exercitu Dux sollet, mature exsecutus. Senatum suum assidue habuit, Ærarii vires inspexit, sumptuum rationem iniit, & ne pecunia subsidia deficerent, aut morosa essent, providit. Vigor hic à masculo erat animo, quem non sinebat bona natura torpere; & ab ætate, quæ inter florem fructumque media, maturitatem induerat. Aliiquid etiam à patre auxili, multum exempli. Is primis Gallorum minis commotus, de quo periculo Brabantiae imminente certior factus, relicto lare, è finibus Lucemburgensium, non sine periculo, Lovanium, & ad filium, jam Rectorem, venit: senio venerabilis, & totam canitie virtutem adferens. Venit annos natus octoginta tres, & adhuc

adhuc robustus; venit, ut miles de-  
nuò esset, qui Centurio aliquando  
fuerat: jam maximè pater, ut pro  
filio pugnaret. Fuerat sanè, sed ju-  
nior, strenuèque se geffit, ubicum-  
que pro Austriacis bellatum est: in  
Belgio maximè, velut Europæ  
compendio, & quamdiu bellatum.  
Nunc verò eādem simul urbe cum  
filio clausus, non se putavit patrem  
esse, nec Davéum esse, nisi miles  
fieret, pietatem ac nobilitatem iis-  
dem armis profiteretur. Haftam  
igitur sumpfit, & in Legionem Ri-  
baucourtianam, volo adscriptus  
est, ne hoc quidem parvus munere,  
quia filium Rectorem habebat. In-  
terdiu verò noctuque se occupans,  
& tanquam juvenis esset, dignus  
quoque habitus, qui Centurionis  
sui, Ægidii Dorgoyi, viri inter stren-  
uos eminentis, vices non semel  
sustineret. Quid amplius pro com-  
muni bono potuit? Ad belli obse-  
quia

58 HISTORIÆ BELGICÆ  
quia à Principe vocata Provincia-  
rum Nobilitas ; hic vénit , prius  
quam vocaretur : ut hosti se oppo-  
neret ; hic obviām processit : ut Pa-  
triam defendereret ; hic solus pugna-  
vit. Siquid gloriæ est , genti acce-  
dit. Ut omnes ostenderet Lucem-  
burgenses fortes esse , fuit : fuit  
Lovanii , & in urbe obseSSI ; ubi , fi-  
lio ejus Rector , & cœptum , & fi-  
nitum est Gallorum bellum. Sed ut  
ad vires Academiæ redeam , è Ju-  
ventute , & parte civium fuere ; sed  
quia sub bono duce , validiores. Ju-  
ventus , in Theologiæ , Iurispru-  
dentiæ , Medicinæ , aliarumque Ar-  
tium alumnos & candidatos dividi  
solet : Cives , quos dico , quia fun-  
ctione aliquâ , sive publicâ , sive pri-  
vatâ , Rectoris imperio obnoxii ,  
cives quodammodo non sunt : iif-  
dem enim cum juventute privile-  
giis vivunt. Triplici verò agmine  
totus ille numerus in auxilium ur-  
bis

bis accitus: uno Theologi, altero  
reliqua pubes, tertio hi ipsi cives,  
quos Academicos appello. Theo-  
logis Eximum virtutis ac doctri-  
næ titulo præficere Theologum  
placuit, Guilielmum Ab Angelis,  
ætate & auctoritate validum, &  
tanquam militari huic muneri ap-  
tum. Modestius tamen ipse de se  
judicans, promptiori maluit vices  
suas commendare. Nimirum, qui  
docere togatos solitus erat, ducere  
armatos, arduum censuit. In hujus  
igitur locum Petrum Parisotum  
Rector substituit, virum per multa  
stipendia militiae gnarum, sedu-  
lumque, etiam à litteris, quæ rerum  
omnium subsidia sunt, commenda-  
tum. Reliqua pubes Caroli Vigna-  
courtii, diligentissimi Clarissimiq;  
Iurisconsulti, secundo loco electi,  
ductum aestimavit, à bello Germa-  
nico martialem etiam inter libros  
retinentis animum, ac retenturi,

quam-

60 HISTORIÆ BELGICÆ  
quamdiu salus urbis & Academix  
hostes inveniet. Cives porrò Aca-  
demicos, omnium consensu, Her-  
mannus Hiddinga dirigebat, ille  
castrorum consilia & artes longo  
usu edoctus. In hos omnes summâ  
unus auctoritate imperium, rogan-  
te Academiâ, & quasi Dictator ac-  
ceperat, præstantissimi animi cor-  
porisque vir, Franciscus Ioannes  
Roblesius, generosam à Nobilitate  
sua Militiæ fiduciam sumens, tri-  
plici dignitate illustrior nescio, an  
modestior, Præpositi, Cancellarii,  
Conservatoris: qui bello idoneus,  
& baltheo cinctus, dux instar mili-  
tis, & miles instar ducis, innatâ  
ostendere virtute potuit, è Comi-  
tibus se Dannappesiis esse. Rexit  
juventutem, sed armatam, quæ in-  
ermis interdum ferox, sed tanquam  
pro libertate sua pugnet. Omnia  
humanitas apud volentes potuit;  
sponte ad obsequium venerant:  
quia

quia prompti ac strenui, encomii  
magis quam imperii indigi. Pul-  
chrum etiam, sub tali duce onera &  
pericula subire militiae, decus me-  
ri. Videbant, quae facienda erant:  
quorsum audire? sua ipsi conservare  
Privilegia visi, si pro urbe starent.  
Cum stationem suam in publico  
Athenaeo, & meditulio urbis acce-  
pissent, habere ad moenia malue-  
runt, ac sub dio pernoctare. Roble-  
sius autem primus in laboribus es-  
se, exemplo loqui, omnia exsequi,  
qua? bonum ducem decent. No-  
vum etiam Rector Senatum insti-  
tuit, virorum pr?stantium; qui in  
Curia, & cum Magistratu urbis de  
pr?sent? terum statu ac necessitate  
quotidie agerent, consilia ad ætarii  
vires, & hafce ad salutem publicam  
conferrent. Dicentes unum jam ur-  
bis & Academiæ corpus esse, ut  
tramque in utrâque protegi atque  
defendi. Hæc de Viris: sed & pueri  
esse

62 HISTORIÆ BELGICÆ  
esse viri voluerunt, arma ferre,  
prodire, imò in hostem excurrere.  
Quia non vocati, sponte iverunt,  
sine sacramento, non sine consilio:  
profsus, ut ostenderent, armis se  
dignos & periculis esse, qui animos  
ante annos haberent; tractarent  
gladios scloposque, priusquam ge-  
terent. Specimen insigne ac me-  
morable, adventante primū ho-  
ste, civibusque circa urbem occu-  
patis. Plures eorum, qui primis ar-  
tibus rude adhuc ingenium ma-  
xiūmve adhibent, in catervam coi-  
yerant: ut omnia dicam, pueri  
erant; sed, ne viderentur, armati.  
Intellecto, hostem ad prædam pa-  
sim vagari, paucos aliquos in ne-  
more Parcensi hærere, infidias cœ-  
nobio struere, simul egrediuntur,  
nemus petunt, & tanquam feras in-  
dagine cingerent, in circulum dis-  
perito numero, undequaque me-  
ditullum claudunt. Hostium pleri-  
que

que militare quoddam rati agmen  
irruere, tempestivâ fugâ evasere:  
duo deprehensi, atque adeò cincti.  
Hī tanquam pueris pares, arma ex-  
pediunt; sed numero impares, sub-  
mittere coguntur. Igitur capti, &  
in urbem, imò per urbem ducti,  
spectaculo fuere. Pugna hæc, an  
potius venatio? priusquam viri pu-  
gnarent, vincere hostes pueri, &  
capere potuerunt. Arma quoque in  
urbe necessaria erant, & munimen-  
ta hosti venienti objicienda. Armo-  
rum nomine, tormenta majora &  
minora, globi & glandes, pulvis &  
fomites, militari hodie ratione  
comprehenduntur. Et tormenta  
quidem in præsentem belli necessi-  
tatem pauca: sex ænea, plura ferrea,  
quaë urbis erant: octo Princeps re-  
liquerat, duo majora, totidem me-  
dia, quatuor minora: Globorum  
glandiumque fatis, cum illorum  
vices rude quodcumque suppleret

ferrum; in hasce, plumbi copia, aut  
stanni sufficeret. Pulveris duode-  
cim dūntaxat vasa in armamenta-  
rio urbis inventa; in tabernis, &  
apud propolas pauca: à Principe  
nonaginta accesserant, quorum sin-  
gula centum viginti pondo conti-  
nebant. Diebus etiam singulis in  
urbe purioris quidem pulveris vi-  
ginti pondo parari cœperant, tu-  
dioris quadraginta. Fomites deni-  
que minori copiâ, mox quidem, si  
duraret obsidio, ad exiguum ven-  
turi, non tam arte, quam stupâ, ex  
qua torquei solent, deficiente.  
Novum tamen modum, novam-  
que materiam Magistratui sugges-  
tit Franciscus Gutierius, sacris &  
mysteriis & studiis iniciatus, facili  
vir ingenio, & ad omnia quasi à na-  
tura factus; in quo Hispani Belgam,  
Belgæ Hispanum inveniant, orna-  
menta militiæ ac doctrinæ ament.  
Si bonum dixero, omnia includo:

hoc

hoc enim titulo scipio major esse  
potest, qui se minorem multis ge-  
rit; bene in publico nuper periculo  
de juventute meritus, quam duxit:  
effecit enim, ut alii quoque essent,  
qui ducerent; imò ut duci ipsa sem-  
per vellet. Nunc bene etiam de ur-  
be: quippe arma subministravit;  
non fortis tantum, pugnavit enim;  
sed ingeniosus, fecit, ut pugnare  
plures possent. Munimenta reliqua  
erant, sed maximè necessaria mili-  
ti, non è muris tantum urbis, &  
pomœtiis (quæ angustiæ jam erant)  
sed ex aggeribus, septisque suburbanis pugnaturo. Laboris celeritas  
non tam facile elegantiæ, quam ne-  
cessitati satisfecit: robur præcipue  
à rudi quæsitus opere, cum arti  
tempus deesset, & ad momentum  
belli faceret, hostem aditu arcere.  
Diverso tamen Hiberni ingenio  
erant; & quia sclopis, quam ligo-  
nibus paratores, ignem præliando

malebant, quām humum effodien-  
do propellere. Laude, an culpā  
digni? non fugere laborem, sed eli-  
gere viſi ſunt, militiae decora fan-  
guine potius, quām ſudore compa-  
rare. Cæteri longis artem muniendi  
ſtipendiis periculisque edocti, ali-  
quoties jam vel obſeffi, vel obſef-  
fores, honestum omnem cenuere  
laborem, qui militaris eſſet, & ad  
ſecuritatem pugnæ faceret. Ribau-  
courtiani igitur, & VVeſemaliani,  
civium ſacerotorumque hominum  
auxilio, portam Bruxellenſem no-  
vo propugnaculo præcingunt, du-  
cto ſecundūm foſſam urbis ſini-  
ſtam gemino aggere, angulisque  
ſuis pro ſitu loci obliquato. Exad-  
versum Ceraseto, inter portam  
Bruxellenſem & Vilvordianam, di-  
verſa munitionibus hostium valla-  
tum quidem objecta, quæ oppor-  
tuna ſæpius prœlio deinceps fuere.  
Minimum operum, ſimplicesque  
agge-

aggeres Vilvordiana accepit. Ad Mechlinensem, ut audaces Hiberni essent, fodiendo Germani efficerunt. Primam sanè hīc noctem in operibus, duntaxat inchoatis, ipse cum filio centurione Prestonius, & idoneo militum numero perstitit, armis suppleturus, quod munimentis adhuc decesset. Maximum fortunæ momentum in uno potissimum monte positum erat, quem Cygneum appellant, vel ignoratum hosti, vel nescio quo consilio neglectum. Hic mons mœnibus quasi contiguus, & Diliæ atque portæ Arschotanæ imminens, obnoxiam sibi partem urbis, & interiora ab orientis sinu mœnia habet. Einhoutius stationis suæ satagens, occasionem virtutis arripuit, solidisque vallis ipsum collis supercilium communivit. Quia celeritate strutura absoluta est, cā alacritate defensio suscepta. Germani erant, &

hoc satjs, ut hostis arceretur: ducentierant, majorem non desiderares numerum. Tutela quoque ab ipsa urbe quæsita, excitato in mœnibus, & ē regione munimenti suggestu, qui bina tormenta caperet, hosteinq; accessu prohiberet. Quid locus, quid ingenium potest! alibi protectam civitatem dixeris, hic conservatam. Quippe ubi vincere hostis potuit, pugnandi occasionem amisit. In urbe verò parvam velut urbem Arx faciebat, mea, ut dixi, Palladis, & Musarum sedes; non cā quidem munita arte, ut, si oppugnaretur, violentiæ diuturniori resisteret; idonea tamen, ut muniretur, armisq; fortunam suspenderet hostium, & aliquam urbis faciem retineret. In fastigio collis sita, subjectam amœnitatem, & ex adverso ridentem, despicit. Nullibi gratiior oculis libertas. Patentem ab ingressu aream lorica muri,

muri, Austro objecti, cingit. Meræ deliciæ, præsertim ubi podium expansis tiliæ ramis umbrosum, dimidiato orbe producitur. Ex hoc potissimum loco, infesta oppido tormenta sint, totumque non sine strage doment. Idem latus fauces viæ ad radicem usque montis, rivumque Furam leviter sinuatæ cingunt. A tergo fossæ, arboribus consitæ, & viis aggeribusque distinctæ, tutam quodammodo etiamque loci naturam reddunt. Montis jugum, quicquid inter Arcem & mœnia urbis à Septentrione est spatii, occupat, horto, agro, & quod mireris, lacu. Sed hortus ponè ad portam usque Mechlinensem extensus est, & quâdam veluti crepidine definit, modici valli species, ac muri interrupti vice. Mea cura fuit, ut siquid tristius urbi accideret, in Arce tutus familiæ meæ populus esset; essent Amici, qui, et

communem nobiscum belli fortunam tolerarent, partim rure, partim ex oppido huc venerant. Toleravit sanc*t*e cultissimæ doctrinæ ac celeberrimæ famæ Antecessor Diodorus Tuldenus, egregium æternumque Academiæ nostræ decus : ille hoc potissimum tempore meus, quo vix quisquam suus esset; iisdem mecum armis, ut ante*à* Litteris usus, tanquam ad sapientiam sic nunc maximè accederet. Ita verò est: discuntur ac docentur cognatae virtuti artes scientięque pacis tempore, usurpantur belli ; ac docere imprimis videaris, cùm usurpare instituis. Alia populi, ac Philosophi ratio est : ille timet tremitque, si vel vitæ, vel rebus periculum imminet : hic sui securus, obviām fortunæ ibit ; pugnabit quoque, ut viri partes impleat ; morietur denique, ne philosophari unquam desinat. Initio quidem obsidionis, & re-

centi adhuc Vrbis & Academiæ  
metu , Grobbendoncquiū scriò  
expendens , quanti Arx momenti  
effet , & quām pravis opportuna  
consiliis, siquid civili fortè tumultu  
plebs turbaret ; Præfecturam  
meam humanitate suâ æstimavit.  
Venit ipse , & , inspecto situ , dubius ,  
armis an Litteris aptiorem diceret ,  
,, Hic , inquit , induere Martis ima-  
,, ginem Sapientia potuit ; ut quæ  
,, belli sunt , consilio & ratione gu-  
,, bernentur . Sed arma nunc tibi  
,, quoque curæ sint ; in ipso ego  
,, strepitu actumultu , quid Litteris  
,, tribuendum sit , ostendam . Cùm  
gratiam dicerem , operamque por-  
,, rò meam omnem offerrem , Offi-  
,, cia , inquam , mortalium ac studia  
,, honestate libera sunt , necessitate  
,, coarctantur : mea , Litteræ sunt ,  
,, & ad arma facili negotio trans-  
,, eunt . Hæc legimus quotidie , au-  
,, scribimus ; non manu , sed mente  
tracta-

,, tractamus. Aliis plus fortassis pe-  
,, ritiae, aliquid nobis saltem fidu-  
,, ciæ est. Si animus æstimandus,  
,, jam milites sumus. Sed tui sumus,  
,, ut nec strepitu, nec tumultu per-  
,, cellamur. Nunc etiam quia om-  
,, nes Vrbem; Arcem ego munire  
,, aggressus sum; quasi Capitolium  
,, Vrbis: & nonne aliquo etiam  
,, præsidio dignam? Virtutem &  
,, Fortunam tuam colo. Virtus, Vi-  
,, bi velut Arx est; Fortuna, & Vi-  
,, bem, & Arcem invictam faciet.  
De præsidio opportunè admodum:  
addictum est, dubio ac hærente  
duntaxat confilio, è civibus, an mi-  
litibus daretur. Cum prodeunteri  
deinde ad mœnia comitarer, fami-  
iliarior etiam de obsidione seimo-  
natus, non sine loquentis urbanita-  
,, te. Vrbem clausam, inquit, vides:  
,, sed an satis homo claudus eam  
,, defendet? Vastam & invalidam  
,, vides; hostem contrâ validum, ad

,, vim etiam perniciatem adferre.  
Respondi breviter, Non crure aut  
,, pede, sed mente & ratione mili-  
,, tiam regi ; imperio, non vestigio  
,, opus esse, ut suum quisque offi-  
,, cium exsequatur. Gloriosam  
,, quoque hanc claudicationem  
,, fore, quæ perniciatem hostium  
,, in fugam esset conversura. Poste-  
to die quindecim è legione VVes-  
maliana milites ad Arcem venere :  
quibus in ponte ac vestibulo, tan-  
quam in statione collocatis, Fran-  
ciscus Ruloffius præfuit, director  
alias centuriati ordinis, prompti  
probiisque animi & operæ, dignus  
autem, qui non manipulum, sed  
centuriam regeret. Cum in man-  
datis haberet, nequem armatum,  
& injussu meo intromitteret, ordi-  
natis excubiarum vicibus, modeste  
suos toto obsidionis tempore con-  
tinuit, mutatis etiam, si qui minus  
viderentur morem gerere, aut mu-  
neri

74 HISTORIAE BELGICÆ  
neri suo deesse. Quemadmodum  
sedulus, ita solicitus erat, ut singula  
quæ fierent, & scire operæ pretium  
esset, continuò ad me referret.  
Hujus sane nos operâ, & ille vicis-  
sim familiaritate nostrâ usus est,  
mensæ & arcanorum consors, à  
præsidio velut in hospitium trans-  
latus. Sermones nostri, de armis, ac  
præsentis belli ratione, de Vrbe, &  
,, Arce : Hanc etiam, urbe captâ  
,, defendi posse, murorum, fossa-  
,, rum, totiusque structuræ fiduciâ.  
,, Muros solidos, & tormentis resi-  
,, stendis esse; fossas profundas, la-  
,, tas, circumductas: superesse in  
,, ipsa structura, quia veteri, sua vi-  
,, tia, geminumque penetratu faci-  
,, le posticum, & fenestras aliquas  
,, non satis clathris, aut cancello-  
,, rum implexu obseptas esse; sed  
,, corrigi, impleriique posse. Nec  
mora: cespites in vicinis campis.  
humo effossi, carrisque advecti: re-  
liqua

liqua terra è planicie Arcis eruta. Dies noctesque aliquot hic labor & domesticos meos , & rusticos nonnullos, militesque tenuit, donec solidō impletī opere aditus securitatem promitterent. Plus jam horroris , quam amoenitatis erat, lumine alibi, & aëre excluso : sed tutos esse , delicias putavimus. Vrbis hæc quidem , inter spem metumque strepentis conditio : hostium non satis explorata. Tanquam dubii, quo bellī molem converterent, totam diverso simul ru more provinciam terrebant. Primum ab amne iter Bruxellam vi sum dirigi : quippe per silvam Sogniacensem. Sed hanc, cæsis passim cumulatisque arboribus, inviam & implexam turba agrestium reddiderat. Flexu igitur opus, qui denuo dubius, ideoque sævus. Cum homines passim fugerent , aut latarent, armamenta abacta sunt, prima infamem,

famem, à tergo prementem, reme-  
dia: & quid nisi panis novâ aliquâ  
victoriâ quærebatur? Prætorium  
Furensē hoc prœcursu spoliatum,  
pagi templum incensum, monaste-  
rium Capucinorum, nec non arces  
nonnullæ, contra fidem datam, di-  
reptæ. Sed facilius pagi, quam op-  
pida; inermes quam armati subju-  
gantur. Cū ad prædam anhelaret  
miles, ne annonam quidem invê-  
nit. Duces anxii, quomodo mili-  
tem alerent, diversis consiliis age-  
bantur. Inter Bruxellam, Mechlin-  
iam, Lovanium medii, dubiam  
suscepti belli molem novis mo-  
mentis expendebant; & quia lon-  
gioris Mechlinia moliminiis vide-  
batur, partim situ ac naturâ loci,  
partim recenti Ledæi Marchionis  
Præfecturâ, viri ad formidinem us-  
que hostium bellicâ virtute evecti;  
in disceptionem, hinc Palladis  
sedes, inde Principis yenit. Castel-  
lionæus

„lionæus Brisæusque, Expugnandum in antecessum Lovanium  
„dum esse, nequid à tergo hostile time-  
„retur. Hic copiam frumenti af-  
„servari, refici exercitum instrui-  
„que posse: bidui hunc laborem,  
„ac velut promulgidem victoriae  
„fore. Auriacum major Bruxellæ  
cupiditas obsidendæ trahebat: in  
qua una urbe universa quodam-  
modò provincia vinceretur. Hic  
aulam, & thesauros esse: hic to-  
tam Regis & majestatem, & for-  
tunam conteri: plus hic homi-  
num, quam virium esse; plus ti-  
moris, quam roboris: ipsamque  
urbi imbellem turbam impedi-  
mento fore. Plerosque aut sibi,  
aut opibus suis timete, qui rebus  
dubiis pacisci malint, quam pu-  
gnare. Alios, ne inopiq; vitæ pe-  
riculum adjiciant, causam publi-  
cam ne suam quidem censere.  
Nimirum & magnas divitias, &

,, paupertatem remoras animorum  
,, esse : illas bello ubique subtrahi,  
,, pro hac neminem pugnare. Ad  
,, summam , Consternari omnes  
,, posse, si, qui hostem hactenus  
,, non viderint, cingi obsidione in-  
,, cipient. Sed aliis profecto ci-  
vium genius erat, bellum non pri-  
vatâ sorte, sed publicâ salute æsti-  
mantium. Dei siquidem, Regisque  
caussâ pugnaturi , quæ omnium  
erat , fortunam quoque omnium ,  
libertatem , religionem defende-  
bant. Paucorum igitur metus, reli-  
quorum exemplo , in alacritatem  
versus , consternatio in fiduciam ,  
desperatio in audaciam , Pluris ni-  
mirum apud bonos fortisque Prin-  
ceps, quam periculum; quia bonus  
ipse & fortis. Gratus quoque ac-  
ceptusque hac laude, qui à Principe  
missus urbi rei militaris Praefectus,  
Robertus Maldeghemius Grima-  
rezius, à Consiliis belli, ac Legionis  
Fonta-

Fontanianæ Legatus. In quo viro cùm parem bello suspicerent cives animum, sumere potuerunt: cùm Fidelitatis titulum, familiæ Maldeghemiarum ab annis jam trecentis proprium, venerarentur, suum fecere. Reliqua aderant, prudentia, promptitudo, vires, etiam exercitatae. Iussi hoc tempore à Consulibus ac Senatu arma capere, subito, ac quasi sponte profiluerè. Vix horæ spatio, tumultu velut sacramento, triginta & amplius armatorum millia Patriæ se obtulere, obsidionis onus parati excipere, urbem defendere, periculo se objectare, cadere potius quam cedere, mori quam dedi. Una & tergmina omnibus tessera erat, DEVS, REX, PRINCEPS. Ut pares quoque hosti tergeminis essent, plures fortassis velles, non fortiores. Sed si robur respicias, numerum excesserant. Mœnia in castra, urbem in aciem conversam diceres;

80 HISTORIÆ BELGICÆ  
publicè privatimque nonnisi Martis imaginem esse. Sanè Auriacus de vigore & constantia civium per exploratores certior factus, à sententia sua duci se passus est, & ad leviorem laborum molem castra convertit. Talem quidem Galli habuere, in Lovanium hoc tempore, quam Bruxellam ipsâ necessitate proniiores: an etiam ut militiam suam erudirent prius, quam nobilitarent? ingenium prius in schola, quam in aula experirentur? Haec vulgi voces erant: Rerum scilicet gradus esse: discendum, ut agas; agendum, ubi didiceris. Quæ tamen si ad militiæ rationem propriè referas, quot in Belgio urbes sunt, tot scholas invenies: in Belgio, tamquam Bellonæ gymnasio, domicilio, sede: in Belgio, ubi, si miles desit, militem civis donet; ubi & vivere homines, & simul pugnare incipiunt. Lovanium igitur re-  
tracta

tracta belli tempestas, & in conspectum urbis, VIII. Kal. Iulias, qui Solis, & D. Ioanni Baptistæ sacer, hostes veniunt. Equitatus Gallorum primus fuit, proiectoque jam in meridiem Sole, proximis, qui ab Occidente oppidum cingunt, collibus, frequenti, & ad terrorem agmine, stetit. Pedestres sequuntur copiæ, & partim Calvariaæ montem, viâ Vilvordianâ, partim Banchum, cœnobium Virginum, Ordinis D. Augustini, sed sub præfectura Antistitis Villariensis, quod extra portam Bruxellensem, occupant: sacri homines sacra loca. Ipsí Duces aderant. Et Castellionæo quidem, ominis velut cauſâ, Banchum in hospitium placuit: ubi novi solent Principes, & inaugurandi, sacrâ solennique pompa excipi, & in urbem deinde induci. Castra in dorso montis fauibusque viarum leviter cincta, cum auxilium à na-

tura loci ac situ esset; aggeres autem attegiæque, à Regis relictæ, ad compendium operis facerent. Brisæum, cæterasque Gallorum copias Mons Calvariæ, villaque Diependalia, & adhærentes in declivi agri receperunt: Lamylleræum, peculiari titulo tormentorum Præfatum, aliquot stipatum centuriis, Arx Heverlœensis, & vicinum Cælestinorum cœnobium, insigne utrumque splendoris Croyacæ monumentum. Ultimus, ac biduo post accessit Auriacus, castraque inter Herentium pagum, & radicem clivi Roselani, lato ac læto campo posuit, in Septentrionem atque Ortum porrecto. Parti militiae monasterium cessit Betlehemiticum, ne solus scilicet Batavorum exercitus, vulgi sermone, soli expers sacri, profanus haberetur. Majorum vero iste mos fuit, etiam extra pomœria, Deo Divisq; templa struere, majo-

rem

rem urbe pietatem facere , dignum  
amoenitate cæli cultum habere.  
Prorsus civitates mœnibus, mœnia  
religione cincta ac munita erant.  
Sed Lovanium , quot portas , tot  
etiam delubra fortis habuit, quasi ad  
Deum ubique exiretur. Sic qui-  
cumque peregrè urbem peterent,  
ad Deum citius , quam ad urbem  
veniebant. Ad Deum, sed infestum,  
si infesti ipsi, ac hostes. Tales igitur  
Galli Batavi que hoc tempore; ac-  
cepturi cladem , quia illatum sine  
jure belli ibant; tanto numero suo  
tantillis copiis impares , quia in  
Deum pugnabant. Batavorum ele-  
gantia ac nitor , in ipsis his etiam  
aggeribus conspicuus fuit; qui ar-  
tem industriamque pari amant in-  
genio extollere. Urbem, non castra  
dices , vallo & fossâ inclusam,  
formâ quasi quadratam , exiguo  
longitudinis excessu , angulis, tan-  
quam propugnaculis munitam, o-

pere, ordine, ornatu admirandam : Ambitus quidem quatuor lateribus , sed inæqualibus soli ratione comprehensus, bis mille quinquaginta septem passus implebat , five pedes decies mille ducentos octoginta quinque. Ipsa latera, quatuor mundi plagis objecta , levi in dexteram quatuordecim circuli partium flexu. Septentrionale , quingentis septuaginta quinque extensum passibus: Austrinum, sexcentis octoginta : Orientis deinde , quadringtonitis duodecim : Occidentis, trecentis nonaginta. Angulus castorum inter Orientem & Austrum, simplex erat : cæteri latiore foris fossâ cincti , intus præcincti. Propugnaculum unum in latere Australi, & loco acclivi, triente ab Occidentis angulo distans , quod ipso situ suggestum dabat. Frons tota dextera pedes continebat ducentos decem : sinistra, ducentos quin-

quinquaginta. Latus dexterum, centum: sinistrum, sexaginta quinque. Rursus angulus propugnaculi, quemadmodum & castrorum, latiori foris fossâ, intus angustiore, & recurvâ. Fossa totius circum-  
quaque aggeris septenis profunda pedibus, computata declivitate:  
lata in imo ternis, in summo item septenis. Lorica lata supernè qua-  
ternis, obiter inclinata: alta à sca-  
bello quinis cum semipede. Scabel-  
lum ipsum latum ternis, altum ses-  
quipedem. At verò fossa propugna-  
culi exterior, ut & angulorum ag-  
geris, septenis profunda pedibus:  
lata in imo senis, in summo denis.  
Vallum propugnaculi à fundo ad  
extremam loricam, altum bis quasi  
novenis: angulorum verò quos  
castra habuere, bis septenis. Supre-  
ma utrobique lorica, & scabellum  
ut in aggere. A scabello propugna-  
culi ad interiorem fossam pedes

erant viginti, areæ spatiū, à terræ  
lineâ exsurgens pedibus quaternis:  
ipsa hinc fossa, in angulum curvata,  
septenis descendens; lata in imo  
ternis, in summo septenis. A castris  
præterea geminus diverso tramite  
agger eductus: alter ad Diliam us-  
que, partem præcingens montis:  
alter per ipsum clivum ad castra  
Diependaliana, intercurrentibus  
hinc inde non sine artis lege angu-  
lis; ubi in flexu bina mons castella  
ad pleniorē tutelam recepit. Hæc  
omnia quām accuratè, tam celeri-  
ter perfecta, agente & satagente  
ipso Auriaco, operum militarium,  
artisque bellicæ, si quis aliis, peri-  
to. Extremis etiam diebus in ipsa  
montis Roselani crepidine, Orienti  
objectâ, geminum strui castellum  
eādem cœptum industriâ; ut proxi-  
mi & patentes campi, flumenque  
gyris suis interluens, obnoxium  
tormentis redderetur: sed cùm  
moro-

morosum à difficultate rupis opus esset, absolvi tempestivè non potuit. Tam exactæ artis munimenta plerique in sedem militiæ duratura, & pertinaci destinata bello credidere. Quid tamen est? accuratâ potius muniendi consuetudine, quam alio aut altiore usum consilio Auriacum putas; cui tam facile erat, ornare castra, quam munire. Gallis, elegantiâ, imò arte neglectâ, satis erat muniri. Nulla adhuc vis erat; ideoque obſidio nonnullis etiam dubia: cùm è mœnibus interim in hostium catervas, quamvis longinquas, aut montium tectas magis obſtaculo quam tutas, tormenta majora crebro fulmine explosa sunt. Suburbanæ etiam, & proximæ portis domus quædam, ne latebræ hosti fierent, publico decreto in flamas datæ, ac dirutæ. Non unum hoc incendium erat, nec uno tempore; tantoq; miserius, quanto tristius,

tristius, à suis, quàm ab hostibus  
lædi; consilio, quàm casu. Sua sibi  
urbs, si non membra, certè orna-  
menta quædam reciderat: sed ne  
universum majori ruinâ corpus  
periret. Quod publicè impenditur,  
ne privatim quidem damnum est.  
Nemo quod privatum est, servat, si  
publicum evertitur. Ut jam se obsi-  
deri civitas sciret, portæ aggestâ  
humo fascibusque oppletæ & oc-  
clusæ sunt, relicto ad latus tantillo  
spatii, quantillum homini obliquè  
transeungi satis esset. Hac se miles  
ex urbanis ad suburbanas stationes  
proripiebat. Portæ igitur portæ  
non erant; mœnia continua; ut  
scires non hostem tantum, sed mi-  
nas quoque hostium excludi. Mo-  
les deinde in urbe excitatæ, por-  
tisque objectæ singulis, relicto areæ  
spatio, imò firmiter circumsepto,  
quò si vis penetraret oppugnan-  
tium, clausi quasi caveâ & carcere  
teneren-

tenerentur. Hâc imprimis industriâ factum, ut murorum ruinæ quædam, posteâ stratæ, negligi potuerint: obstructæ nihilominus, atque adeò inter ipsos tormentorum ictus & pericula; ut securior tutela esset, & nihil obsecroribus concederetur. Atque illi, ut dixi, positis munitisque castris, à vi adhuc abstinebant; rati fortassè de ditione „ mox ab oppidanis actum iri: De- „ bilem namque urbem esse, & ex- „ emplo Thenenium territam; dif- „ fusam esse, nec præsidium suffi- „ cere. Sed non intellexere, Robur „ esse, ubi audacia est, ubi constan- „ tia, ubi fides: vires inveniri, ubi „ virtus magis, quam locus oppu- „ gnatur; ubi miles, civis, juventus „ mœnia facit. Eos jam sanè ani- mos plerique sumpserant, ut peri- cula possent contemnere; tantò alacrius repressuri hostem, quantò benignius ad conditiones invitandi.

„ di. Publicæ voces erant, Nil pa-  
„ c̄tis agi, ubi blanditiæ formido-  
„ losæ sunt ; fidem nonnisi falla-  
„ ciam esse, pacta dolo eludi. Gal-  
„ lorum nomine Batavos, Batavo-  
„ rum Gallos petulantes favosque  
„ esse, diversâ manu, eodem con-  
„ filio. Semper, ut excusentur, com-  
„ mitti scelera; semper, ut cōmmit-  
„ tantur, excusari. Quot capita,  
„ tot imperia esse, suo interim gra-  
„ fari arbitrio milites, crudelitati,  
„ libidini, impietati frena laxare.  
**Constantia oppidanorum tempe-**  
**stivis admodum Principis ad Grob-**  
**bendoncquium litteris confirmata:**  
quæ vii. Kal. Iulias redditæ; & mox  
Senatui lectæ, in manus venere po-  
puli, tanquam ad hunc scriptæ. Ar-  
gumentum, gratiæ, laudes, suppetiæ  
erant. Tanti ficerat, defensionem  
urbis viriliter suscipere; auxilia au-  
tem, quæ jam appropinquabant,  
mereri. Hostis interea, cum nihil  
videre-

videretur agere , sedulò operibus suis incubuit , effossisque in obliquum viis , urbem versus aggeres suos dimenso flexuum spatio promovebat. Quatuor omnino accessus erant. Primus & secundus Gallicorum : sed ille in mœnia finistra portæ Vilvordianæ , ubi cerasetum ; hic in ipsam portam. Tertius & Quartus Batavorum , in Speculam , & portam Mechlinensem . Suggestus tormentarii quinque : Primus non procul Banco , portam Bruxellensem aut vicina mœnia laceratus , qui nullum tamen postea usum habuit , five distantiaæ vitio , five hunc deinde tractum hostibus tentare non ausis , quem à Ribaucourtio , & simul VVesemalio , exercitatiissimæ militiæ Tribunis , defendi scirent , & quâ armis , quâ operibus insuperabilem & invictum reddi. Secundus vicinior , Bancum inter & Calvariaæ montem , juxta cerasetum ,

tum, è quo primus agger ductus.  
Tertius, in ipso Calvariae, & Sacro  
Sepulchro vicinus, portæ Vilvor-  
dianæ sex tormentis infestus. Quar-  
tus, Speculæ objectus. Quintus  
denique, portæ Mechliniensi. Atq;  
hic à tergo aptissimæ hosti latebræ  
plantarium, callium compendio:  
juxtâ, accessuum agger, oblique  
procurrens opere, magis magisque  
quotidie se insinuabat. Nostrî con-  
trâ niti, munitiones suas adversus  
hostem pari industriâ producere.  
Iam verò prima à porta Bruxellensi  
eruptio noctu facta, ipso VVescema-  
lio ductore: qui virtute ardens, pa-  
trisque exprimens genium, totâ  
hâc obsidione docuit, se ad terro-  
rem Gallorum natum esse. Suos  
educturus, verba, tanquam arma  
exacuit, & quemadmodum pugna-  
,, re solet, locutus est: Frustra, mi-  
,, lites, stationem mutavimus si  
,, pavidis similes, munimentis co-  
hibemur.

„ hibemur. Hostis nobis pellen-  
„ dus, ut aggeres habeamus. Sen-  
„ tiat ille, quia novus, viros ac ve-  
„ teranos vos esse. Timere incipiat,  
„ quos oppugnatum venit, more  
„ gentis, plus ad prælium furoris,  
„ quam virtutis allaturus. Quia  
„ temeritate, non ratione dimicat,  
„ præoccupandus est: cum invadit,  
„ acer; cum invaditur, vix miles.  
„ Primi estis, qui certaminis edetis  
„ specimen, fortunam urbis, fa-  
„ mamque præsidii manibus vestris  
„ facturi. Quippe ab his auspiciis  
„ spem ac fiduciam obsecssi capient:  
„ contrà timebit obsessor semper, si  
„ in principio vincetur. Sed quid  
„ verbis utor? Vos scio fortes esse;  
„ nescirem esse, si uti velim. Non u-  
„ nam obsidionem perpeSSI, osten-  
„ distis, quam virtute & mœnia de-  
„ fendenda sint, quamvis invalida;  
„ & hostis reprimendus, quam-  
„ vis robustus. Obsideri quoque,

H quam

„quām claudi facilius est: quia pu-  
„gnare licet, liberi sumus: & quia  
„audemus, quod fortassis minimē  
„nos ausuros hostis credit, citius  
„vincemus, quām pugnabimus.

Animis ardere milites vīsi sunt, &  
hoc velut igne in valla adversa in-  
vecti, pugnam nonnisi flamمام  
fecere. Hostium absumpti triginta,  
è nostris septem cecidere. Victores,  
quia non de armis tantum Gallo-  
rum, sed animis triumpharunt, fe-  
licissimè deinceps mœnia sua, &  
munimenta tutati sunt. Agger hīc  
jam erat, priusquām pugna, sed au-  
ctus: alibi pugna, ut agger fieret:  
ubique fervor, urbem extra urbem  
defendentium. Batavi in portam  
Mechliniensem dirigebant opera:  
hos acer pugnæ Prestonius, Hiber-  
norū suorum usus alacritate, ag-  
gressus, cęde terruit. Infaustum hoc  
etiam hostibus oppugnationis au-  
spicium fuit, malo inter fabas jam  
adultas

adultas omine latentibus; quæ parentalibus olim sacrificiis adhibitæ, hodie ad fatuitatem & insaniam referuntur. Hostili tum largiter sanguine ager imbutus, promittere fecilitatem potuit. Post discessum quoque plura inter fabas cadavera hostium inventa. Hoc etiam tempore, idem Prestonius, qui segnior rem sermone manum nunquam habuit, tam generosè loqui potuit, quam fortiter semper egit. In statione sua, & porta Mechliniensis erat, quæ tum Ribaucourtius casu venerat: & ecce, Vir nobilis, vicinique ruris incola, cum tubicine, de captivis acturo, ad urbem accedit: non orator quidem; sed minarum tamen gerulus, quas referret magis, quam perferret; consilio, non mandato, quod è vestigio circumstantibus aperuit: Decrevisse Anria, cum, aut ditione, aut vi in potestatem suam Vrbem redigere.

„ Viderent cives , quantò melius  
„ esset , salutem pactione & pace ,  
„ quam famam pertinaciâ querere :  
„ hanc si eligerent , novas exitio  
„ Thenas Lovanium fore. Presto-  
nius minarum impatiens , & gene-  
„ rosum promens animum , At tu ,  
„ inquit , ito , & Auriaco à me dici-  
„ to , hæc sua ad pueros terricula  
„ mittat : Vrbem à viris , addam  
„ quoque , ab Hibernis , quos hic  
„ vides , defendi : Regios esse mili-  
„ tes , ideoque nec periculo percel-  
„ li , & obsidioni sufficere . Seve-  
rior Ribaucourtius , cautiorque ,  
„ Detinendum esse hominem cen-  
„ suit , in obsequia peccantem Re-  
„ gia . Malo exemplo in urbem in-  
„ ferri minas hostium ; manifesto  
„ etiam periculo civium auribus  
„ committi . Artes has Auriaci esse ,  
„ dolo tentantis , quod vi aut armis  
„ desperaret . Serò , qui missus , er-  
ore suum deprehendit , veniæ  
„ propior ,

propior, quia non sua for, sed inter-  
pres. Cūm & domum in urbe habe-  
ret, in hanc velut custodiam ire juf-  
sus est, nec liber totus, nec capti-  
vus. Postero die iterum ab Auriaco  
tubicen, captivos (quæ speciosa ac-  
cedendi occasio erat) quæsiturus.  
Atque is Thenarum quoque exci-  
dium verbis exaggerans, velut per  
ambages, ambiguus ipse, deditio-  
nem postulare visus. Grobben-  
donc quius fide & constantiâ fretus  
civium, responsum pænè in jocum  
vertit, non minus lepidus, ubi oc-  
casio permittit, quàm fortis ac ge-  
,, nerosus, ubi virtuti locus. Mirari  
,, se, Auriacum, tantis copiis, acto-  
,, to non Bataviæ tantum, sed Gal-  
,, liæ robore succinctum, urbem  
,, hanc unam (occupatas enim ur-  
,, bium loco vix haberi) Brabantiaæ  
,, debilissimam, studiis, non armis  
,, assuetam, & claudum in ea Præ-  
,, fectum aggredi. In arduo gloriam

„positam esse, hic destrui. Abire  
deinde hominem jussit, monitum,  
cum ejusmodi & ipse caveret, &  
alii in posterum oratione accedere,  
aut linguae præmium restim & cru-  
cem latus. Ludi se Auriacus arbi-  
tratus est ; sed tanquam lædi po-  
tuerit, iram effundere in Vrbem  
tormentis postridiè, ac summo ma-  
ne cœpit : quæ tum demum obsi-  
deri se agnovit. Ictus eo die nume-  
rati ad centum triginta : quorum  
minimæ pilæ libras pendebant  
quinque, maximæ quasi triginta.  
Insolitus hic fragor erat ; sed cum  
nullum ferè hominibus damnum  
esset, terrere mox desit. Muri, por-  
tæ, turres alibi, ac deinceps quafla-  
tæ : cæterum, qui in Vrbem immis-  
globi, quia in vastam vacuamque,  
irriti ut plurimum cadebant magis,  
quam cædebant. Gurgustia alibi,  
aut viles casæ, aut privatorum tecta  
sine damno tacta, alibi horti, arbo-

res, sepes. Vulnera hæc omnia ad ostentationem fuere, ac nobilioz jam domus, quæ globum excepis- set. In Arcis quoque murum quen- dam eminentem, sed caducum, qui cœnaculo supernè frontispicium faciebat, hostile fulmen ter-gemi- no ictu penetravit: dejectum dice- res, lacerato simul tecto, ut ferò, & feriò tandem instauraretur. Globus posteà inter omnes unus, quodam quasi prodigo salutis index, non sine elogio prætereundus. Hunc domus in foro publica, civiunr. Collegiis, Phiditiisque exstructa, tam insolenti casu excepit; ut manu latus, & arte collocatus videatur. In pulchrâ ædificii facie pulcher nævus; nisi index potius titulusque obseffæ, defensæ, ac liberatæ urbis, non sine admiratione spectabilis. Signum gloriæ ac monumentum alii appellabunt. Temporis articu- lus quam etiam opportunitus: Pet-

100 HISTORIÆ BELGICÆ  
vigilium Divorum Petri ac Pauli  
erat: & quid nisi divinitus insigni-  
tum? Ipsí putares Tutelari urbis  
sertum suspensum, ac consecratum  
esse. Senatui res digna ornatu visa;  
mihi carmine, quod quia muro  
publicè Consulis jussu inscriptum,  
non indecorè historiæ quoque in-  
seretur.

QVIS GLOBVS? HOSTILIS: LÆSIT-  
NE? AT FVLMINE LVSIT,  
GALLI TORMENTIS DVM BA-  
TAVIQVE TONANT.

OMEN INEST TELO, DECORATVR  
VVLNERE MVRVS:  
NON VINCI GRVDIOS, ADMO-  
NET IPSE GLOBVS.

Sed primus omnium aliquid etiam  
portenti habuit, quo non vir, sed  
muliercula, pabulum in agro Car-  
tusiano, juxta ædiculam S.Crucis,  
colligens, icta interiit: una, & anus;  
geminò quasi omine meliorem ur-  
bis fortunam includens: cùm &

ætas hîc spectari & sexus soleant. Robustior deinde eodem infortunio raptus, & examen meruit. Pila in hortum Arcis per proximas mœnium ruinas, v. Kal. Julias, impacta, duorum simul hominum, inibi fodientium, capita traxit ac dissipavit. Alter adolescens erat, nec scio, an civis : alter peregrinus & ignotus ; è tessera, in marsupio ejus inventâ, pro speculatore nonnullis habitus, & tanquam in pœnam cæsus. Majore fortassis suspicione, quam indicio; cum tam operæ possis, quam tesserae, quæ securitatis duntaxat nota fuit, credere. De cive etiam, aut peregrino cur inquiero ? Civis est, qui pro urbe perit ; peregrinus non est, qui, ut civis præstet operam, vitam impendit. Si Arcem ab Urbe separe, mulierem à viro ; nemini in urbe tormenta nocuerunt. Trunci cadaverum cum reliquiis craniorum, in proximum Arci


cœmeterium, D. Ioanni sacrum, recepti, & religiosè sepulti. Eundem hunc diem singulare ac prorsus militare facinus insignivit. Novem omnino cives è porta Vinearum erumpunt, incautos securitate Gallos decem invadunt, cingunt, capiunt. Pecora duci ad urbem crederes, ex agro ad feabulum. Quippe singulos singuli impellere, unum omnes : unus reliquis velut additamentum victoræ erat, & extra gregem ibat ; nisi dux potius, qui cum præter numerum esset, numerum implevit. Læto à suis plausu excepti victores : à Grobbendonc quio laudati publicè ; quod amplius erat, quam viciisse. Ad animos verò aliorum roborandos hoc paucorum exemplum valuit : vix quam timere auso, cum nihil jam virtuti arduum esset ; ex urbe in castra ejectus esset metus ; amplius in agro & libertate suâ hostis, quam

in muro & obsidio civis pateretur.  
Nemo fuit, qui non in medium vi-  
res suas conferret; animum certè,  
qui vires faceret. Ex ipsa plebe,  
omnium & civium & militum ore  
laudatus, Iosephus Mannartius, a-  
lutarius, incredibili vigore, indo-  
lem ipso nomine virilem indicans;  
qui omnium eruptionum pars, &  
plus quam miles, victor & ovans  
ab omnibus rediit, opima quotidie  
spolia, velut fortunæ testimonia  
ostentans. Alius, Carolus Brehaüs,  
ejusdem opificii, vel solus, vel cum  
paucis integras laceffere catervas  
sæpius ausus, atque etiam invadere.  
Item aliis, Ægidius VVeyfius, co-  
gnomento Brandenburgius, vim &  
celeritatem conjungens, ignem re-  
præsentabat: quia villicus, in agro,  
tanquam suo, furens, è Specula tu-  
bo majori ferreo, quem ab uno  
loricæ affigi solito, appellamus, ful-  
minans, plures unus prostravit  
quoti-

quotidie hostium , quām multi glandes ejicerent. Præter hosce, Jacobus Rotarius, hortulanus, homo in paupertate sua latus, præmio ab ipso dignus Grobbendoncquio judicatus. Is in suggestu , à se intet portam Vilvordianam & Speculam structo, & munito, tormentum unum regens , dies noctesque in labore & periculo imperterritus persistit, non sibi , non machinæ parcens , quam cū plurimis plumbeisque oneraret glandibus , totidem uno fragore & flammâ vulnera spargebat. Ergò in hunc directa tota & proxima tormentorum hostilium tempestas ac vis : & quamvis semel cum turricula excubitoris, quæ plures jam globos exceperat ; iterumque , & eodem die, cum tormento suo , rotâ conquassatâ, subversus, & quasi sepultus; surrexit tamen animosior , canthi , globo avulsi, partem manu retinens, quo

se Rotarium ostendebat; & instauratâ per noctem loricâ, quam pronus cespite evehebat, novâque machinæ rotâ subiectâ, casum continuâ strage vindicavit. Quantus fervor! ab occasu Solis in occasum carere cibo potuque maluit, quam à cœpto opere abire. De globis hostium tormentariis dixi, in quibus nihil novi aut miri fuit: fuit in glandibus, quarum vis magna & continuus quidam imber mœnia, imò Arcem, quia mœnibus proximam, non sine stridore flagellabat. In majorem quotidie malitiam militiam degenerare, nova vulnera ostenderunt: cum satis non esset fauciari, saevitiam placuit ingenio querere, ut quoties plaga esset, laniena & lethum sequeretur. Sic tamen infelix crudelitas: nam quæ maximè timenda erant tela, minus nocuerunt.. Nimirum incertiores ictus erant; sive formæ vitio spargi magis.

magis apta, quam dirigi; sive obte-  
re, quo violentia frangebatur. Ut  
ritus quoque casus esset, numen e-  
fecit. Sed operæ pretium sit, mon-  
stra hæc glandium, non glandium  
verbis repræsentare, quemadmo-  
dum in Arce, & circa Arcem à filiis  
domesticisque meis, alibi ab aliis,  
collectæ sunt, & servantur. 1 Paucæ  
quædam ferreæ, sed quadratæ, an-  
gulis lateribusque asperæ; cæteræ  
plumbeæ, arte ac dolo adulteratae:  
an & veneno illitæ? Quotquot læsi  
(læsi autem pauci) ad unum quasi  
omnes interiere. Quædam rotun-  
dæ, ac geminæ, nunc 2 cohærentes  
sibi mutuo quodam quasi per co-  
chleam nexus: nunc vel 3 simplici  
fili ferreo, velut nervo, vel 4 du-  
plici colligatae ac pendulæ, ad  
majora vulnera incutienda. 5 Que-  
dam è tænia in spiram rotundatae,  
prominentibus utrimque extremitatibus. 6 Quædam veræ semiglan-  
des,



des, sed verrucosæ. 7 Quædam articuli magnitudine, quadruplici dentium ordine, & 8 decussatâ supernè fissurâ. 9 Quædam cylindri imagine, lateribus hincinde leviter compressis. In obeliscis (quod nomen forma poscit) plus improbitatis: hi enim quasi glandes jam non sunt, longitudine pollicis, 10 dentatis in turbinem angulis coëuntibus; vel etiam 11 spiræ modo circumductis: quorum 12 nonnulli circa medium coarctati, formam mutant, recurvo & obverso dentium acumine; prorsus tanquam alter alteri, minor majori inhæreat, ex uno geminus, vel unus ex gemino. 13 Alii indicē æquant, in cuspidem utrimq; desinentes, lateribus quaternis, angulis lineisq; ferratis. Quinto Nonas Iulias, sub vesperam, Geraldinus, & Quellius, Hiberni, alter Signifer, alter ordinum Director, uterque strenuus, suo & majori

108 HISTORIAE BELGICAE  
majori gradu dignus, selectam po-  
pularium manum, in aggeres ho-  
stium, qui ad montem Calvariae,  
jussu Tribuni, educunt. Accensâ  
jam feliciter pugnâ, dum explora-  
bundus circumfert Prestonius o-  
culos; totis ecce in agmina copiis  
hostem stipari animadvertisit, acies  
dirigi, vim parari. Summis contrâ  
viribus, imò & animis opus esse,  
qui vires facerent. Militem igitur  
suis reddi munimentis jubet, tutio-  
re in interruptos loco, & majori  
, fructu pugnaturum. Aggeres ho-  
, stiles si petere ac penetrare ausus  
, esset, suos jam defendere. Victo-  
, rem in agro, vinci in vallo quis  
, ferat? Nec mora: Grobbendonc-  
quium, misso interpellat satellite,  
& impendentis procellæ admonet.  
Is, sui, & affecti cruris negligens  
(decumbebat enim) ad mœnia ad-  
volar, cives ac juventutem in auxi-  
lia distribuit, & tempestivè, quæ  
ubique

ubique agenda, ordinat. Ut præsens  
debilissimo, & medio pugnantium  
adesset loco, suam ipse ad portam  
Vilvordianam stationem capit,  
mœnibus, imò verò periculis invi-  
gilans. Horologia eo quoque tem-  
pore, & omnis æris sonitus in urbe  
sufflaminatus: quæ tutissima silentii  
subsidia, quia occasionem rei ge-  
rendæ hosti eripiunt, utiliter usur-  
pari solent. Nocte intempestâ tri-  
bus aciebus gradum hostes infe-  
runt, & in omnes simul munitio-  
nes nostras impetum vi summâ fa-  
ciunt. Pugnatur acriter, ac terrore  
miscentur omnia. Regiis religio &  
gloria ante oculos erat, hostibus  
urbs & præda. Tanto ardore Galli  
irruunt, ut valla suburbana inter  
portas Bruxellensem & Vilvordia-  
nam semel iterumque transcende-  
rint, bis, & cruentâ strage expulsi.  
Deus in partes venerat, & manife-  
sto subsidio pietatem urbis tutatus

210 HISTORIÆ BELGICÆ  
est. Dum hostem miles foris sustinet, cives intra mœnia locum munusque militum implent. Wingiani Ribaucourtianorum, ad portam Heverleanam; Borghreeffiani Hibernorum, ad Vilvordianam; Academici circa speculam steterunt, præfagi, & tanquam milites omnes, mori promptiores paratiioresque, quam pedem referre. In hoc numero Viri quoque sacris iniciati, quos necessitas fortés, impavidos autem perpetua mentis puritas faciebat. Nonnulli pede nudi, animo armati, & tanquam sine calceis firmius starent, glandes in hostem mittere, vi & virtute vestigium implere, non minus jam armis, quam semper votis precibusque Deum placare, piique esse; non minus in militiam, quam Sacrum Ordinem adscripti. Mirabuntur posteri, unde tantum non assuetis, non exercitatis animi ac roboris. A Deo, qui

non

non vinci modò, sed confundi armata hostium scelera flagitiaque voluit, & in exemplum pœnæ venire. Thenis quicquid natura horret, toto triduo patratum erat: Athenis, ut sic Lovanium appellem, ter triduo vindicatum. Clades igitur hosti, in apertum se danti maxima, cœmœnibus aggeribusque: cum enim per declive ad urbem accessus esset, totum simul agmen iictibus non irritis offerebatur, omnisque in obnoxios globus certam trahebat perniciem. Et mœnia quidem continuâ scloporum explosione, ardere. Tot flammæ circumquaque, quot pinnæ; ceu tota in lumen lorica mutaretur. Tot radii, quot viri; quasi fulmine quodam urbem coronarent. Aggeres eadem facie, nec nisi Vulcani officinæ. Accedebat clamor, præsertim Hibernorum: qui cum glandes suas vocibus sequerentur, gemino feri-

112 HISTORIÆ BELGICÆ  
re hostem telo visi, ceu bis occide-  
rent. Iam suspensi omnes hærebant  
animo, & tristissimus rumor medi-  
, tullium utbis occupavit, Victo-  
, rem in mœnibus hostem esse,  
, cæde & sanguine grassari. Hinc  
subito mulierum, circa forum præ-  
cipue, discursus & ejulatus : aliæ ad  
templum Tutelare proximum, nu-  
minis opem imploraturæ, confu-  
gere : aliæ foribus ædium obseratis,  
miserrimum cum liberis exspectare  
fatum. Miseranda hæc prorsus ca-  
ptæ urbis imago erat, citius credita,  
quæm correcta: quæ cùm ad mœnia  
diffunderetur, missi, qui menda-  
cium famæ reprimere, læta ac  
fausta omnia nunciarent. Cautè  
igitur, ne virorum fortassis animos  
muliebris consternatio deinceps  
dejiceret, publico decreto Grob-  
, bendoncquius sanxit, Nequa-  
, mulier, aut puer, post occasum  
, Solis in plateas exiret : Larem  
curaret

,, curaret & liberos, dum pro com-  
,, muni salute viri excubarent. Mi-  
rum dictu: Semel cognito, falsum  
rumorem fuisse, qui fidem tam fa-  
cile invenerat, nemo jam credebat  
vinci urbem posse Cæterum, præ-  
lium totâ nocte pertinax, varium,  
atrox; quo dejecti tandem undique  
hostes, in castra gravi cum damno  
rediere. Cæforum cadavera tribus  
plaustris avecta. Volunt aliqui, in-  
ter vulneratos tum Marchionem  
Varennum, Tribunum, fuisse, præ-  
cipuæ nobilitatis juvenem, atque  
in tabernaculo paullò post exspiraf-  
fe. Hic ille est, quem morti proxim-  
um, & sic ad se maximè redeun-  
tem, arcana belli hujus aperuisse  
,, ajunt, Vniversam prædæ provin-  
,, ciam destinatam fuisse: de viris,  
,, feminisque actum: illos interne-  
,, cione aut exilio amovendos; has-  
,, ce sive in libidinem militibus, si-  
,, ve in matrimonium Gallis colo-

114 HISTORIAE BELGICÆ  
,, nis, & jure quidem belli,cessuras.  
,, Vnam querendam esse victo-  
,, riā, quæ non funderet tantum  
,, Belgarum sanguinem, sed adulter-  
,, raret ; novos homines novâ so-  
,, bole atque propagine faceret, no-  
,, vis legibus, moribus, vitiis. Vera  
hæc, an ficta, in ambiguo est : cre-  
dulam tamen suspicionem plures  
unâ voce & confessione captivi  
reddidere , quos fortuna coegerit,  
etiam meliori loco naros, in noso-  
comio Bruxellensi contabescere.  
Varennium autem, à triennio non  
visum , frater ejus salutaturus , in  
castra hoc ipso die venit : quem  
moribundum non sine lacrymis  
complexus , mortuum mox ( totâ  
sclopis perstrepente legione) sepul-  
cro intulit , Heverléæ apud Cæle-  
stinos , cælestem in terra vitam a-  
gentes, electo. E nostris ( mirum ! )  
duo duntaxat in hoc conflictu mi-  
lites cecidere : quatuor vulnerati,

partim

partim milites, partim cives. Occa-  
sione victoriæ nostri statim usi,  
munitiones suas subito opere ali-  
quantum extenderunt ; prorsus,  
tanquam ab hoste in humum fer-  
rum transferrent. Senatus civesque  
passim tam liberales, quam læti, po-  
tu victores cibosque excipiunt : lau-  
des in bellaria fuere. Novus vix-  
dum dies, creperâ adhuc post pu-  
gnam luce, redierat, & partim tor-  
mentis, partim sclopis denuò ho-  
stes intonuere : pridianam scilicet  
vel dissimulantes fortunam, quia  
territi ; vel correcturi, quia irritati.  
Sed Grobbendonc quius in futura  
cautus, majori etiam præsidio mœ-  
nia communit. Omnes quotquot  
bello apti essent, jussi arma capere :  
monitis legionibus, ut ad novam  
pugnæ gloriam animos erigerent,  
finem mox laboribus feliciter im-  
posituri. Dum viri occupantur,  
mulieres nonnullæ, suum negligi

116 HISTORIAE BELGICAE  
in communi periculo sexum indi-  
gnatae (an ut contractam à recenti  
consternatione maculam delerent?)  
manus in militiam operamque ob-  
tulere : nuptæ, viduæ, virgines ; sed  
,, viragines omnes. Nuptæ , Malè  
,, se maritos habere, si à periculis se-  
,, jungerentur : malè liberos , nisi  
,, pariter defendarent. Viduæ , Se  
,, fibi viros esse , ac virorum loco  
,, Patriæ obstringi. Virgines deni-  
,, que, Sanguinem malle quam pu-  
,, dicitiam profundere: & se pugna-  
,, re posse, ut maritum mererentur.  
Erat etiam, quæ virili animo in du-  
cem aliis se offerret; quæ & nomine  
in Gallos, & consilio, & robore va-  
leret ; quæ Batavis ostenderet,  
,, Non Harlemii tantum , sed &  
,, Lovanii , Margaretas , tanquam  
,, Martis alumnas inveniri. In fabu-  
,, larum mysteriis Palladem femi-  
,, nam fingi, sed armatam : pugnasse  
,, quoque Deam, ut bellicę virtutis  
exem-

, exemplum apud mulieres, &  
,, mortales omnes extaret. Parata  
sic quidem urbis periculis sequior  
illa & sinistra civium manus erat,  
nisi dextera robustiorque suffecis-  
set. Mulieres, ut fortes essent, quie-  
verunt. Inter sacratos Ordines So-  
cietas IESV, quamvis armis usâ non  
sit, operam tamen quasi armatam  
saluti publicæ dedit. Munitionum  
militarium sedula, dies totos, in-  
terdum & noctes, inter glandes &  
globos labori incubuit, sudore  
commonstrans, quid ligones pos-  
sint, si peritia accedat: non manu  
tantum, sed & ingenio valla exci-  
tari. Tot juvenes, tot viri, doctrinâ  
præstantes, jam quasi Martis alum-  
ni erant. Extra mœnia tempestivè  
foderant, portæ Mechliniensis pro-  
pugnaculum, ipsumque adeò exi-  
tum, qui ad dexterum aperitur la-  
tus, circumducto opere munierant,  
urbem hac quidem parte securam

I 5 fecerant.

fecerant. Sed vis omnis hostilis in dexterum, & quasi nudum conver-  
sa. Prestonius igitur in ipso maxime  
discrimine præstans, ut opportu-  
nam ruinis tutelam daret, partim  
suo, partim Germano stipatus mi-  
lite, novum à sinistra fossa aggerem  
noctu molitus erat, agri angulum  
rudi vallo comprehendens. Ger-  
mani fossioni, Hiberni pugnæ in-  
tentî, audacem ipsum quoque la-  
borem fecerant, tantâ inter se con-  
cordiâ & consensu, ut una gens vi-  
deretur. Novi custodia propugna-  
culi Hibernis quoque obtigit, no-  
vâ jam virtutis occasione juxta ho-  
stem constitutis. Filium Presto-  
nius generosâ adolescentiâ floridum,  
& in legione suâ centurio-  
nem primipilum habebat, ut ordi-  
ne, ita animo eminentem, quo æta-  
tem vicerat: huic primæ etiam, &  
periculosisimæ excubiarum vices  
datae. Auriacus, quid post Gallos  
pecu-

peculiari facinore Batavi auderent,  
experturus, suos pugnæ admonitos  
,, esse voluit: Spem potiundæ urbis  
,, per ruinas portæ potissimum  
,, Mechlinianæ patere; sed occu-  
,, pandos prius aggeres fossis præ-  
,, structos, pellendumque in urbem  
,, præsidium, unicum, quamdiu fo-  
,, ris pugnaret, victoriæ impedi-  
,, mentum; imbelle autem, quia  
,, tironum: quo amoto, & aditum,  
,, & ingressum virtuti liberum,  
,, præmia quoque laboribus fore.  
,, Auxilium terroris à nocte sume-  
,, rent, quamvis sublustri; spem à  
,, lumine, quamvis obscuro. Per  
,, tenebras, dubiamque lucem, au-  
,, geri in contrarium omnia; fortu-  
,, nam velut umbram timidis, velut  
,, ansam animosis accedere. Si viri  
,, essent, diem in ipsa nocte habi-  
,, tuos, victoriam è pugna. Acce-  
dunt igitur, & summâ contentione  
vallum oppugnant, scandunt, inva-  
dunt.

dunt. Loco, non robore moti Hiberni, fugari tamen non potuerunt. Ab ira, pudore, indignatione nova vires, & in hostem converſę. Prior, velitatio; hæc, jam pugna erat. Qui, ut victores intraverant, majori strage, quia in fuga, obruti. Tempestivè quoque laborantibus Smitius, è légione Embdana Centurio, unus ille par pluribus, exemplum omnibus, venit, Germanos suos Germanus (& hoc ad laudem satis) adducens. Hic ille vir est, qui sub Einhoutio, incomparabili heroë, in Schenequiana arce fortiter occupanda, spiritum æternitati postea consecravit. Ea verò omnium in hac jam pugna virtus, ea animorum flamma fuit, ut humanum modum excederet. Ab aggeribus nostris ad hostiles fortuna pugnæ translata. Cùm vchemens confititus esset, pluresque hostium caderent, è Præfectis nescio quis, tor-  
que,

que, armillis, annulis, aliisque militare insignibus fulgens, invadentium audaciam acrius incendit: pene dixerim, vinci dignus, quia tam ornatus. Militem fortem, quam pulchrum malis; ducem pariter ferro, quam auro splendere, ac conspicuum esse; ut si necessitas cogat, miles fiat, imperium manu & operâ exprimat. Sed hic an pugnaverit, nescio, cæsus est, pretiumque prælia fuit. Cum pronus jaceret, spiritu vacuus, nummis plenus, à nostris capite brachiisque, ab hostibus contrà pedibus trahi cœpit; utris spolia cederent, contendente pertinaciâ. Tandem hic quoque victi hostes, cadaver cessere: quod ad mœnia usque raptatum, & exutum, magno deinde flagitantibus ut redimeretur, stetit. Sed nocturna hæc prælia etiam infeliora hosti, quia nocturna; quamvis multum interim diei haberent. Pleno  
jam

122 HISTORIAE BELGICAE  
jam orbe fulgebat Luna, Sole à statione cæli æstivâ declinante, & in nocte exigua nox quasi non erat. Insuper, quia ab Occidente ac Septentrione urbs oppugnata, adverso hostes lumine conspicui, glandibus nostrorum certius patebant: mœnia contrà urbis, aggrefisque suburbani umbris protecti, non poterant, nisi suis lucerent ignibus, collimatos ad iactus ab hoste designari. Ad rem sanè bellicam facit, in consilium etiam astra advocate. Lunæ captanda silentia erant, si tenebras, velut latebras, Auriacus quæceret; aut certè ab Oriente Meridieque mœnia subeunda, ut commilitantis subsidio sideris uteretur. In hoc armorum tumultu tertiae à Principe litteræ, laboribus militum civiumq; perquam opportunæ. Suā ipsius manu scripscrat, Pergerent fortis, & sui similes esse, quos pares hosti virtus fecerat, mox sublevandos:

,, vandos: se cum copiis auxiliisque  
,, tempestivè adfuturum. Erecti ad  
novam omnes constantiam , non  
tantum sustinere fortiter hostem,  
sed magis laceffere satagebant ; eâ  
fiduciâ agere cuncta , tanquam  
auxiliis adhuc non indigerent. Læ-  
tus in plerisque squallor erat, labor  
suavis , audax necessitas. Sed Pre-  
stonius , aptam virtuti alacritatem  
militum ratus , ad singulare ac de-  
cumanum vertit consilia facinus,  
graviori aliquâ eruptione hostes  
& incautos perculsurus. Militarem  
viri iudolem etiam pietas stimula-  
bat, ne dies D.PETRO, urbis Tute-  
lati sacer, qui instabat, sine eximio  
aliquo belli specimine ac decore  
transiret. Plus hoc tempore religio-  
nis in mœnibus, an in templis fue-  
rit, dubites. Ipse miles , non nisi ex-  
piatus hosti se objecit, & sic fortis  
fuit; contemnere mortem poruit,  
quia terrorē abjecerat ; vincere  
hostem,

hostem, quia à Deo ad pugnam ibat. Publicam tutelam etiam civis jam armatus invocabat : pius pugnandi ardore, felix vincendi gloriam. Nulla jam convivia, sed certamina ; non scyphi, sed sclopi, quibus vulnera hosti propinata. Ignis non in plateis, sed in muris, quib[us] glandes ejiceret, non flammarum tantum, sed strepitum excitaret. Ipso jam Tutelaris per vigilio Prestonius Speculam conscendit, & è sublimi subjectos obliquatosque hostium accessus explorans, quā potissimum semitā & securitate invadi, vinci, ac subverti possent, expendit. Redacto ad examen dolo, Grobbedont quius interpellatus est : is in ardua pronior, quoties temeritatem excludit fiducia, suoq[ue] & Tribunorum ingenio consilium fulcens, decesserit audendum esse : „Virtute peragi, quicquid à fortuna exspectes : sequi fortunam, si

,, non invitam traxeris. Speculam  
,, ad tutelam urbis facere; ideoque  
,, omni conatu ab hoste peti. Nu-  
,, dum hic esse fossæ limitem, ne-  
,, que à periculo abesse: propulsari  
,, hoc non posse, nisi vallum, ad ur-  
,, bem jam promotum, eruptione  
,, diruatur. Itaque excerpere è le-  
gionibus singulis fortissimos quoſ-  
que promptissimosque placuit, qui  
partim Mechliniensī portā, partim  
Vilvordianā emissi, furtim per Ur-  
bis fossas ad latera hinc inde, fron-  
temque hostilium aggerum perfa-  
ta, occultasque semitas adrepcent;  
acceptoque è Specula signo, simul  
undique involarent, cædi, dilatā  
prædā, incumberent, opera ipsa è  
vestigio subverterent, ac compla-  
narent. Hora post meridiem quar-  
ta eruptioni destinata, quæ mitio-  
rem pugnantibus Solem, satisque  
diei ac lucis daret, ut destinata per-  
ficerentur. Hostes, quia nullus hic

126 HISTORIAE BELGICAE  
sibi à nostris objectus agger, suis  
securi in latebris videbantur; insi-  
dias rati nonnisi nocte tenebrisque  
tegi. Prestonius autem, ut auctor  
expeditionis, ita director existit;  
ductu auspicioque praestiturus,  
quod solertiā suggesterat. Milites  
quasi trecenti, ac triplici modo ar-  
mati: alii sclopis, alii hastis, alii li-  
gonibus; omnes gladiis, sed pun-  
ctim jussi & Romano more ferire.  
Sclopi quidem, majori tubo erant,  
partim silicis chalybisque attritu,  
partim fomite apti inflammari: ha-  
stæ breviores, quæ extendi retrahique  
in libertate spatii possent,  
neque angustiis impedirentur: li-  
gones aggeribus, ipsisque adēd  
corporibus deturbandis, non in-  
strumenta tantum, sed arma. Ani-  
mis verò omnes instructiores di-  
ceres, ad pugnam, tanquam epu-  
lum, anhelare. Grobbendonc quius-  
signi caussâ, & prorsus arbiter pu-

gnæ

gnæ futurus, Speculam unâ cum reliquis tribunis intrat, & in primum fornicem conscendit. Signum autem, chartæ candidæ folium erat, quo per foramen fenestræ jaculatoriæ demisso, scirent omnes, exsiliendum esse. Simili pilos tesserâ insigniti, ut inter se noscerentur. Egrediuntur igitur, læti, quia è reliquis selecti; laudati quoque, quia volentes adetant. Et Hibernos quidem suos, quamvis memores, breviter & militari sermone innatae monere virtutis Pre-,  
,,stonius voluit. **Quid agendum**,  
,,nobis, Milites, scitis: feliciter  
,,quidem, si pergetis esse, qui fui-  
,,stis. Non fidem, non sacramen-  
,,tum militare; sed naturam ve-  
,,stram, & consuetudinem urgeo.  
,,Natura fortes fecit, consuetudo  
,,induravit. Reliquum est, ut  
,,quemadmodum virtus sibi nota-  
,,est; ita in conspectum veniat;

„ obscura adhuc , quia in tenebris  
„ pugnaſtis. Hodie qui ſitis, & quo  
„ robore , lucis arbitrio fama ape-  
„ riet : dexteras veftras cūm in ag-  
„ geribus ſuis hostes ſentient ; ē  
„ muris turribusque commilitones  
„ ſpectabunt. Ingemifcent iſti , hi  
„ applaudent; quot vulneribus,tot  
„ elogiis. An dico? quantum auda-  
„ ciæ, tantum victoriæ erit; quan-  
„ tum ſtragis, tantum gloriæ. Quæ  
„ ardua , pulchra ſunt : hic audco  
„ certa ſpōndere. Audete igitur:  
„ me ut ducem agminis, ita ſocium  
„ periculi habetis. Aliâ atque aliâ  
oratione , ut Gallobelgas Ribau-  
courtius, VVefemaliusque; aliâ, ut  
Germanos fuos Einhoutius excita-  
ret, uſus. Sed quid verbis opus erat?  
uao omnes ore & ardore indica-  
bant ſe promptos eſſe, Gallobelgas  
„ eſſe , Germanos eſſe : Moram  
„ mortem videri , pugnam vitam  
„ fore. Ad ſummarum, occumbere ad  
unum

, unum omnes se malle, quām sine  
,, victoria reverti. Et Gallobelgas  
quidem Signifer Bertinius, magno  
exemplo , exiguo munere impe-  
rans , è fossa urbis ad seminarium  
dexterum , & vallo hostili proxi-  
mum perduxit. Prestonius autem,  
quò expeditior esset, æstumque fa-  
cilius ferret , thoracem abjecit ;  
quod erat , ipsam magis virtutem  
induere : mox gladium stringens,  
pulcherrimo exemplo suos ad radi-  
cem Speculæ præcessit , crepidini  
fossæ incumbere jussos , tacitisque  
se insidiis continere. Germani cito-  
ri trahite per arborcs segetesq;  
proserpentes , dextero se aggeris  
lateri proximos constituunt, ad si-  
gnum pariter intenti. Id mox , sed  
geminum jussu Grobbendoncquii,  
occasionis articulum observantis,  
demissum : alterum Germanis , ab  
Einhoutio , dexterum ; quod cum  
nescio quo impedimentoo, sive au-

130 HISTORIAE BELGICÆ  
ræ, sive muri hæretet, à VVingio  
Toparcha, qui adstabat, protru-  
sum : alterum Gallobelgis, fini-  
strum, à VVesemalio: quod utrum-  
que Hibernis, quia mediis, conspi-  
cuum erat. Simul igitur omnes un-  
dique, & fulminis instar, exsiliunt,  
in aggeres hostium latebrasque ir-  
ruunt ; ipsos velut deprhenſos at-  
tonitosq; feriunt, sternunt, cædunt.  
Prima vis scloporum fuit, ut ino-  
pina, ita acris, ac sæviens: mox pro-  
miscuus furor. Cum internecioni  
nec hastæ nec gladii sufficerent,  
etiam ligones in arma versi. Ipse  
verò Prestonius voce, tanquam  
manu præsens, non suis tantum, sed  
& hostibus conspicuus, hos terren-  
do, illos accendendo, laudem vir-  
tutis apud utrosque meruit. Famu-  
lus ejus, ut aliquid haberet domi-  
ni, præcipuæ aliquem è Præfectis  
notæ invadens, interemit ; extorto  
magni pretii ense, quo pugnans,  
gloriari

gloriari poterat, se parvum jam non esse. Momento temporis tot cadas-  
vera, ut jam fossæ non essent. Solo  
Hibernus unus ligone octodecim  
hostium occidit, an mactavit? Ge-  
raldinus, cuius suprà mentio fuit,  
viginti, vel plures, hastulâ suâ trans-  
fodit. Ex adveiso latere Bertinius  
reductum aggredis, qui stationis  
erat receptaculum cum suis invase-  
rat, ut vestigio, ita cæde primus,  
antesignani, primum se offertenis  
frontem bipenni configens. Neque  
segnior reliquus miles, aut mitior:  
suâ contemptâ vitâ, alienam pu-  
gnando rapit; variâque strage aut  
in terram, aut in fugam hostem  
conjicit. Sternuntur ultimi, suosq;  
ipso casu proximum quemque im-  
pellentes deprimunt, atque præci-  
pitant. Plures igitur quam lædun-  
tur cadunt, pars vulneri, pars oneri  
succumbentes: qui & ipsi magna ex  
parte confossi. Inter mortuos, sed

232 HISTORIAE BELGICÆ  
mortuo similem, quippe inhæren-  
tis & occisi famuli sanguine cruen-  
tatum, jacuisse strenuum illum, &  
militiæ laude inclytum Morga-  
num, adeoque spoliatum, ajunt:  
post recessum verò militum no-  
strorum vitæ postliminio è cada-  
veribus integrum corpore surrexis-  
se. Id si ita est, quid sit cadere, scire  
potuit, & invictus esse. Vinci po-  
tuit, ut majori gloriâ staret. Nemo  
sic pugnat, ut quam amittit vitam,  
induat; nemo sic moritur, ut rur-  
sum pugnet. Postquam ergo à cæ-  
de, ad aggeres complanandos con-  
versus est pugnantium furor, sepe  
lavit miles corpora, quæ straverat:  
humanus in hostes, ut crudelior  
esset. Plures enim, non quia mor-  
tui, sed quia ceciderant, terrâ ob-  
ruti. Diceres, in sepulchro semine-  
ces vivere, & ante fatum vivos hu-  
mari. Clamore cladis excitus, qui  
**ad montem Roselanum stabat e-**  
**quitatus**

quitatus hostilis , concitavit cursum , & in nostros pleno impetu ivit : sed tam valido confertoque è mœnibus fulmine exceptus , ut retrocedere coactus sit. Cùm major deinde vis ingrueret , ac totus se exercitus moveret , signum receptui à Grobbendoncquio datum , ac redire victores jussi. Spolia tandem ad ostentationem victoriæ fuere , arma , & ornamenta. Eminabant vites tres militares , eleganteris operis : quarum extrema argento cælato præmunita , & symbolo inscripta , majorem bellicæ dignitatis fortunam indicabant. Quot omnino hostium perierint , non satis constat : trucidare miles , quam numerare maluit. Captivis an fides ? Aliorum calculo quadringenti partim cæsi , partim vulnerati : aliorum , & imminuentium , ducenti viginti. Ad trecentos perisse Prestonius credidit : quos

134 HISTORIÆ BELGICÆ  
omnes semihora confecit. E nostris  
octo omnino desiderati, inter quos  
Optio quidam Germanus, cùm in  
aggeres hostium primus, & incre-  
dibili virtute insliret, glande tra-  
jectus. Vulnera tamen nonnulli  
haud gravia acceperant; atque ipse  
ad eò nunquam fatis laudatus Smi-  
tius, jam sanguine formosior, quo  
pingi virtus solet. Hibernum quo-  
que unum casus, an error, in exi-  
tium traxit. Occisi ille à se hostis  
fagum pileumque sumens, & pre-  
tium præ signo, quod omnibus  
commune erat, æstimans, cristam  
præ tessera; à suis ignoratus, &  
tanquam hostis, imperfectus. Prælii  
fortuna & urbis, & castrorum fa-  
ciem mutaverat. Isthic læta omnia,  
cantu aut clamore: hic mœsta, si-  
lentio ac metu. Si quis sermo, oc-  
cultus, desperationis, aut querela-  
, rum plenus: Irato numine bel-  
, lum hoc geri: scelera ac flagitia,

,, in Thenenses effusa , manifestâ  
,, pœnâ divinitus vindicari. Hebe-  
,, tata non arma tantum, sed consi-  
,, lia; fractos animos ac velut ener-  
,, vatos ; siti, fame, contagio premi  
,, corpora ac debellari. Hostes  
,, contrâ, non homines , sed furias  
,, videri, suis viribus humanas ex-  
,, cedere, sine metu in prælia ruere,  
,, sine misericordia vincere, pugnæ  
,, gloriam internecione æstimare.  
,, Si quis hincinde belli molem  
,, consideraret; castra potius, quam  
,, urbem obfessam. Quæ summa  
,, esset, cum exercitu reliquam po-  
,, tentiam, & totam libertatis cauf-  
,, fam pericitari. Quantò utilius  
,, sua defenderent , quam aliena  
,, tentarent ! incerto adhuc, an sibi  
,, vincerent, qui aliorum viribus,  
,, ac pænè arbitrio pugnarent. Du-  
,, rare felicitatem, cùm modum re-  
,, cipit : satisque jam magnam esse  
,, rempublicam , si domi conserva-  
retur.

,, retur. Duces Præfectosq; anxios  
suppetiarum fama habuit , quæ in-  
gentes ac terribiles Croataruni im-  
minere copias certo jam rumore  
nunciabat. Auriacus quidem , seu  
novæ eruptionis metu , sive con-  
tumeliæ delendæ cupidine, eâ no-  
cte copias omnes paratas esse, & in  
acie stare jussit. Metum fuisse, sta-  
tuere licet; nihil tentatum est. Cu-  
pidinem verò retardare militum  
nostrorum alacritas potuit , eo fu-  
rore è mœnibus aggeribusque assi-  
duè jaculantium ; ut cælum ter-  
ramque misceri crederes , tenebras  
in lucem verti. Disturbatis ad Spe-  
culam operibus hostium , vis præ-  
cipua in portam Mechlinensem  
directa ; sed irrito conatu : hinc in  
sinistra, & adhærentia mœnia, tan-  
quam facilius cessura. Dum tor-  
menta sæviunt, dum murum fran-  
gunt dejiciuntque , globum unum  
alterumque saxo clivum, & in me-  
diam

diam fodientium turbam resilientem, nemine prorsus læso, humus excepit, & profundâ scrobe hausit. Tertius in hortum Arcis decuslus, ille fuit, qui duobus unus fatalis, exitium, ut dixi, attulit. Milites interim, præsertim Germani, in ruinas terram ingerere, cespite & stipe firmare; vallum ipsum, quo murus sustinetur, densare, & inde à mœnibus, situ altioribus, sejungere; hinc in præcipitum defodere; ut si per hiatus hostis irrumpet, abruptis, & velut in crepidine angustiis clauderetur. Sed moles interior, vasta illa, ac solida, de qua antea, portam, intercepto, quantum statio requireret, spatio, præcinctus, novum quoddam vallum fossamque faciebat. Necessitati hęc satis erant, virtuti non erant. Prestonius enim aliquid Spartani spirans genii, opera quidem militum; sed magis corpora suorum opportuna

tuna sibi hoc tempore censuit:  
„ Illis arceri aut impediri hostem,  
„ his propulsari ac repellere. Muros  
„ muros non esse , nisi fortes , qui  
„ pugnarent,murique fierent. For-  
„ tes non esse , nisi pluris virtu-  
„ tem,quām munitionem facerent.  
Ad filium deinde conversus, Tu,  
„ inquit, Didace, laceram istam &  
„ hiantem murorum loricam vi-  
„ des , subiectumque tumultuariā  
„ cespitem substructione muni-  
„ men ? Hic stabis, hæ vigiliæ tuæ  
„ hac nocte erunt,dum in porta,&  
„ circum miles excubat. Et tu mi-  
„ les es, quemadmodum filius , se-  
„ mel naturâ , iterum sacramento  
„ meus. Agnosce amorem , pater  
„ sum ; & imperium , Præfector  
„ sum. Imperium æstima, ut amo-  
„ rem merearis. Hostem si timue-  
„ ris , pedemque retuleris , hostis  
„ ipse fies , & armatum in te pa-  
„ trem (an & crudelēm?) invenies:

non

„ non Patris quidem , sed Præfecti  
„ manibus casurus. An amare po-  
tuit , qui tam rigidè loqui ? Aliter  
sane non potuit , vel ideo, quia a-  
mavit. Tota hæc patris severitas,  
nonnisi robusti amoris quædam  
teflera erat : intellecta filio, quam-  
vis adolescenti ; quia miles erat ,  
imò quia Prestonius. Ille verò  
„ martiali verecundiâ : Iam me vi-  
„ deo, inquit, Pater, amore tuo di-  
„ gnum esse , quia imperio occu-  
„ por: sæpius filium esse , quia in  
„ gloriæ societatem adoptas. Hic  
„ stabo verò , ut te scias & filium,  
„ & militem habere : meique me-  
„ mor, assignatum priùs tegam cor-  
„ pore locum, quam deseram ; spi-  
„ ritum autem , quem naturæ de-  
„ beo , militiæ persolvam. Stetit  
certè, totumque ab occasu Solis in  
Auroram jam adultam noctis spa-  
tium, & à somno, & à metu alienus,  
exegit ; obsequio dubium, an peri-  
culo

culo laudabilior, cùm vitam mortemque juxta haberet. Miles interim vigiliarum pertinax, moreque suo fervens fulminansque, formidolosus hosti fuit. Sclopis tamen vibrandis temperare jussus, benevolentia quasi specie, ne nimiis laboribus exhaustetur; sed revera ut pulvetti fomitiique, continua jam glandium missione deficiunt, parceret: quem ut spiritum belli & animam hodie habemus. Tempestivè etiam de hac inopia per occultos nuncios monitus à Grobbendonc quio FERDINANDVS Princeps, mandavit, ut neglecta quamque itineris difficultate, obsessis prospiceretur. Negotium datum Ioanni Comiti Nassavio, Aurei Velleris Equiti, & Equestris exercitūs Summo Præfecto: qui ab ipsa adolescentia totam cum militia virtutem assumens, cum virtute militiam, imperio aptissimus, consilio

filio optimus, manu strenuus, plus  
herois quam hominis exprimens,  
suum exemplum delinquentis sæ-  
culi moribus opponere potuit, fi-  
de, integritate, constantiam prome-  
ritus, ut magnus esset; sed nullam  
adhuc aestimans magnitudinem,  
nisi quæ à Rege pendeat; nullam  
gioniam, nisi quæ ad Regem refe-  
ratur; nullam fortunam, nisi quam  
illibata militiae obsequia fulciant.  
Tali prorsus viro opus erat, ut res  
hoc tempore maxima, & totam  
belli aleam trahens, perficeretur.  
Per medios ire hostes necessum  
erat, sive fallendos, si dolo locus  
esset; sive perfringendos, si ad pu-  
gnam veniretur. Sed fallere, diffi-  
cile, inter sparsos & vigilantes: per-  
fringere, periculosum, & exitio  
proximum; cum praeter hostem, &  
pulvis hostis esset; quia ferebatur.  
Quippe omnem hic casus vim ac  
virtutem iudat; & quia igni pu-

L gnat,   
gnatur,

142 HISTORIA BELICÆ  
gnatur, post ferrum flamma timen-  
da est. Facile incendium , ubi ni-  
trum, & suam quisque perniciem i-  
tergo gerit. Nassavius igitur, man-  
dato Principis accepto , celeritat-  
us usus est, consiliique sui rationem  
Petro Villamoro , Equitum sub  
FERDINANDO Principe, in Germa-  
nia Legato, exposuit , Viro ad rei  
bellicæ gloriam nato , & per ipsa  
pericula proiecto. Placuit verò,  
trecentos quinquaginta variis è  
turmis milites feligere: quibus pre-  
fecti, animo ac robore eminentes,  
dati. In hoc etiam tam nobili nu-  
mero Thomas Davalus erat , ipso  
vultu inclytum familiæ suæ decus  
referens; qui in pugna Norlingana  
nuper strenuus , & adhuc saucius,  
vetus negligere vulnus, quam no-  
vam virtutis occasionem maluit.  
Didacus item Acevedius , strenuo  
censeatur , generosus ; si corpore,  
robustus : sibi stimulus, dum virtu-  
tes

tes Majorum imitatur; exemplum aliis, dum exprimit: in quo nihil, nisi annos desideres, & possis negligere. A pedestri recenter militia ad Equestrem translatus, periculum citius, quam honorem complexus est. Turmæ deinde Acevedianæ Propræfectus Christophorus Contreras, generis & ipse splendore nitens, non se militem putavit, nisi pars agminis hujus, & urbis obsecræ fieret; vir etiam litteris cultus, quemadmodum armis strenuus, prudens & fortis, generofus & modestus, bellis nuper Germanicis per ipsa sibi discrimina, atque adeò vulnera, laudis iter aperiens. Reliqui vel solo nomine in famam venient, ceu novi Fabii, nisi quod feliciores: Carolus Maria Caracci, Dux S. Georgii; Thomas Alardeus, Comes Tronzanus; Diomedes Carafa, Carolus Adolphinus, Bernardus Cafatus, Pompejus

Alardeus frater Comitis Tronzani,  
Vquinus, Merodius Claromon-  
tius, Ferdinandus Silveria, Blasius  
Iandinus, Adjutoris munere, Iose-  
phus Astor, ipse denique Villamo-  
rus, qui & virtute suâ, & fortunâ  
felicem hanc facere expeditionem  
potuit; & quo duce, ire nemo de-  
trectabat. Designati milites duces  
que Cameram ( quod vicinum  
Bruxellæ, virginum Ordinis S.Ber-  
nardi monasterium est) clâm, &  
summo mane conveniunt, pridie  
Kalendas Iulii, qui Saturni erat:  
mox ab ipso Nassavio in duo agmi-  
na divisi; quorum alterum oneri,  
alterum pugnæ destinatum. Du-  
centi vigintiquinque, equis pre-  
prios, pulvere suum quisque re-  
pletum utrem à tergo, & ephippio  
alligandum, recipiunt, ad pondo  
circiter quadraginta quatuor. Fu-  
nes singulis ex humero sinistro,  
balthei instar, pendebant, thora-

cem cingentes. Centum verò vi-  
gintiquinque armis expediti , si  
manus confererentur, opponere se  
hostibus jussi , sociisque elabendi  
occasione dare. Missis interim  
speculatoribus , tutissimi viæ tra-  
mites explorati. **Horâ** igitur se-  
cundâ post meridiem profecti sunt,  
ut collatâ temporis itinerisque ra-  
tione, circa medium noctem , Lo-  
vanium pervenirent : in quod tem-  
pus ignem è porta Thenensi Grob-  
bendorcquius extendere monitus  
erat, suppetiasque exspectare. Felici-  
tas itineris à solertiâ imprimis ac  
fide ductorum pependit ; qui cùm  
cognita haberent diverticula om-  
nia , & errare tamen malleant quàm  
fallere, egregiè ab ipso Nassavio in-  
structi; per ambages animosè præ-  
ivere. Additi ligones , nequid ob-  
staculi, aut impedimenti esset : fa-  
ces quoque , licet pleno die irent,  
ac noctem eo tempore in diem

adulto nitore Luna converteret,  
tenebris, quæ h̄ic necessariæ erant,  
quasi exulantibus. Dum proce-  
dunt, hostium quædam in conspe-  
ctu copiæ fuerunt ; sed quietæ. Sic  
transmisso, post occasum Solis, Di-  
liâ, promotum est iter : cumque se-  
mihoræ ab urbe vix spatio abes-  
sent, tempestivè ab oppidanis elato  
igni, continuo & concitato ad por-  
tam cursu provolârunt. Non pul-  
verem, aut funes fomites ; sed ipsam  
in urbem salutem invectam dice-  
res : invectam à numine, imperium  
Principis, consilia Comitis, obse-  
quia equitum fortunante. Gaude-  
re & exsiliare omnes , tam milites,  
quam cives , ac densissimum mox  
glandium imbre , lœtumque in  
hostes clamorem effundere. Hi  
metu perculsi, & tanquam gravio-  
ri eruptione opprimendi , proxи-  
mos , minusque inunitos deserunt  
aggeres , & ad suggestus se reci-  
piunt.

piunt. Inde tormentis pugnatum,  
& reddita clamoribus tonitrua:  
quasi & globi loquerentur. Novi  
hospites publicè privatimque grati  
& accepti fuere. Alios alii, nos in  
Arce Didacum Acevedium, &  
Christophorum Contreram com-  
plexi, privatim agnovimus benefi-  
cium, quod publicè acceperamus:  
quippe datum erat omnibus, quod  
debebant singuli. Sed humanitatem  
veræ Nobilitatis semper comitem  
esse, uterque ille testatur; hoc se-  
dulò agens, ut quoties officiis cer-  
tandum est, vincat; plus semper  
reddat Amico, quam accipiat. Mox  
etiam, adnitente Contrerà, Maxi-  
milianum filium meum, inter No-  
biles pridem militiæ Tormentariæ  
adscitum, Acevedius turmæ suæ  
Signiferum elegit, concesso à Prin-  
cipe temporis supplemento, velut  
beneficio; quod ut ratiùs dari solet,  
ita Belgæ datum esse, tantò majus

est, quanto pulchrius, inter Hispanos, & Equites militare. Eâ etiam nocte, quâ pulvis inventus, Ribaucourtiani è statione sua progressi, impetum in cerasatum fecere, quâ audaciâ, eo successu. Plures Galorum strati; quibus minus jam animi erat, quia vites inedia exhaucrat. Inter cadavera, tres quoque Centuriones jacuere. E nostris quatuor duntaxat & gregarii desiderati. Ad Autiacum fama pulveris inventi subito venit: qui non leviter commotus, iram ad dolum convertit. Ratus enim, equites, qui ita fefellerant, opprimi in redditus posse, silvam, quâ iter erat, milite implet. Sed has etiam insidias Grobbendoncqui, omnia belli momenta expendens, lusit; detento in urbe præsidio, quod eruptionibus serviret. Satis esse pabuli, exploratum erat, & ex agris Transidianis, passim adhuc intactis, colligi posse.

posse. Ad famam quoque obsidionalis, & incrementum virium hic equitum numerus faciebat: quippe si velles, pedites erant: strenui, sive ex equis, sive è muriis pugnarent. Non poterat autem, ut ingressus cum periculo fuerat, exitus ab extio se jungi. Kalendis deinde Iulii, quia à violentia cessavit hostis, nostro quoque militi, continuis jam octo dierum laboribus vigiliisque fatigato, otium respirandi datum: quod plerique tamen, ut verè quiescerent, pietati impenderunt. Sic dies, qui Dei erat, & à Sole dictus, etiam inter arma cultura suorum Christiano ritu accepit. Post primam verò facem infesto rursus fragore strepere tormenta cœpere; præsertim quæ in Speculam directa. Quo loco & tempore, VVingius Prætor, post sex jam noctes in mœnibus evigilatas, lapide tibiam læsus, quem tormenti globus è

150 HISTORIÆ BELGICÆ  
muro dejecerat: quietis quām vulneris impatientior, quia decumbere coactus, cui stare & agere deliciæ erant. Sed equites, refectis jam equis, cum valida agrestium manu portâ Thenensi pabulatum egressi, dum proximos subeunt montes, hostium manipulo occurrunt. Ut brevis pugna, ita facilis victoria: numero & robore nostri præstabant. Aliis cæsis, aliis fusis fugatisque, quinquaginta capti sunt. Spolia in ipsa urbis porta sub hasta venierunt. Nullus etiam deinceps dies sine pabulo, nullum sine præda pabulum fuit; cùm æmulatione quādam suam equites in agris, suam in muris, & juxta muros, pedites niterentur militiam condecorare. Novissimæ tum etiam Principis litterę, tanquām suppeditiæ fuēre, cum toto iam accincti exercitu, & adventantis. Id scribere suâ ipsius manu voluit; nos  
jam

jam hortari cives militesque, ut  
fortes essent; sed laudare, quod  
fuissent. Peculiare tamen Grob-  
bendorf quo datum elogium;  
quod merenti suavissimum virtutis  
testimonium erat, etiam apud po-  
steros duraturum. Ac sane sustine-  
ri hactenus ac frangi hostem gemi-  
no exercitu unum, an uno gemi-  
num, potentissimumque, mirum,  
nec mirum erat. Mirum, si imbecil-  
litatem urbis defensae respiceres:  
non mirum, si virtutem ac famam  
defendentis: qui nisi fortissimus  
constantissimusque obtigisset, vel  
in predictam hosti, & plusquam hosti;  
vel in servitutem Grudii, bis misere-  
ri, veniebant. Egit unus, ut aude-  
rent omnes fortes esse, & sic salvi:  
unus, quod plures simul & duces &  
milites; praesens omnibus, & sic  
omnium imperio regens, mani-  
busque pugnans omnium, cum ob-  
sequientissimos haberet: frustra  
etiam

etiam recrudescente tibiæ vulnere,  
quod anno 80. 151. Silvæducis à  
glande incussa acceperat; neglecto  
verò dolore, cuius meminisse ne  
otium quidem erat. Nec rhedæ jam  
patiens, nec potens corporis, sellæ  
gestatoriâ usus est. Per mœnia sta  
tionesque militum latus quotidie,  
alienis ivit pedibus, quem sui desti  
tuebant. Si vehementius gravare  
tur, corpore jacebat, non animo,  
audiendis consiliis, imperiisque  
dandis intentus. Per eosdem dies  
alia hosti clades, disjecto à Breda  
nis militibus, prope Zoerselium  
pagum, agmine Gallorum, quod  
mari in Bataviam transvectum, re  
cto castra itinere petebat. T recenti  
circiter partim equites, partim pe  
dites erant, pluresque nobiles; se  
decim quâ currus, quâ carrucæ, va  
riâ ac pretiosâ onustæ supellectili.  
De hoc itinere edocitus Alexander  
Alpius, signifer Centuriæ Reinaldi  
Boschii,

Boschii, vir animo manuque promptus, & vel maximè rebus agrisque hostium infestus, Bredâ centum triginta milites, prid. Kal. Iulias, eduxit, ac vi. Non. divisis cuneis, ex improviso proficiscentes à fronte & tergo aggressus est. Primo impetu viginti hostium prostrati, cùm pars irrueret: secundo triginta. Reliqui metu consternati, fugere quam pugnare maluerunt: converisque subito equis, elapsi. Interiit hoc conflictu, præter alios majoris notæ, cognatus Marchionis Herveræi. Carrucæ captæ quatuordecim, grandem militi prædam dede-re. In hac & epistolæ propè ter mille erant; à magnis, & ad magnos plurimæ; nonnullæ ab ipso quoque Rege. Quæ ad Castellionæum, aliosque Præfectos, Marchioni Aytonæ confestim mislæ. Hic verò arcana & consilia hostium, tanquam spolia estimans, amplius scire potuit,

154 HISTORIA BELGICA  
potuit, quam miles raperet: quod  
maxima præda fuit. Ex Eburonis  
tamen finibus quadraginta circiter  
carrucae in castra invectæ, exigit  
solatio, & irritandæ magis quam  
explendæ fami; cum nihil ad gen  
garios subsidii veniret, exiguum  
Centuriones & Præfectos. Miles  
noster, quia extra inediam imp  
piamque, plus etiam vigoris, &  
ingenii habuit. Alii vi & audac  
hostem lædere, alii dolo & insid  
ludere: cum pugnare satis non e  
set, nisi & deliciæ accederent, atque  
denique velut oblectamenta be  
haberentur. Ultimis his quide  
diebus accessuum anfractus  
portam Mechlinensem, aggeri hi  
bernorum Batavi quasi admor  
rant: cum miles Germanus quo  
dam, è fossâ urbis ad sepes, via  
municentes, progressus, observans  
latebris potuit, quid omnino ar  
rent hostes, quando arma, quan  
ligo

ligones sumerent, operæ, an pugnæ intenti. Consilio cum sociis inito, uti insidiis placuit; ut unus ille hostes, unum socii observarent. Ille signum daret, hi silentio ac celeritate in inermies, ac fodiendo impeditos, irruerent, vim & vulnera spargerent, & è vestigio in tutum se referrent. Successit dolus, iterumque aliquoties cruentæ hujus scenæ, non sine militari cachinno, spectaculum; donec multis hostium vulneratis, nonnullis etiam cæsis, à labore inchoato in proximum aggeris sinum suos Prefectus operum revocaret. Quinto tandem Nonas Iulia, qui Martis erat, præter morem, tormenta omnia hostium, & ipsa castra siluerunt: quo consilio, dubitatum. Alii, & in  
,, metum, proniores, Infectiorem  
,, quiete vim parari: belli, ut aëris  
,, tempestates esse, invalescere, ubi  
,, remiserint: ipsum ad robur ho-  
minem

156 HISTORIÆ BELGICÆ  
,, minem respirare. Alii , suppetiâ-  
rum fiduciâ erecti, Muniri adver-  
,, sis imminentem exercitum ca-  
,, strorum valla ; non jam viribus,  
,, sed aggeribus hostem fidere,  
,, ideoque fodere, debilitatum ine-  
,, diâ, & quasi enectum. Regios in-  
,, tegris & animis & corporibus ac-  
,, cedere , validâ quoque auxilio-  
,, rum manu feroces. Vinci Gallos  
,, Batavosque posse , quia inviti  
,, pugnaturi essent : fortunam au-  
,, tem totam obsidionis ab uno  
,, prælio pendere. Mea hæc verò,  
nec vana opinio fuit, quâ & erigere  
,, meos conatus sum, Hostem, quia  
,, in promovendis operibus paullò  
,, antelanguentem , tandem otio-  
,, sum, non de pugna , sed de fuga  
,, cogitare. Verba, cum supra vota  
viderentur, eventu mox confirma-  
ta, citiusque plausum, quam fidem  
invenere. Suspecti interim ac ti-  
mendi cuniculi , quos è ceraseto

in aggeres sibi objectos hostis moliri visus. Grobbendonc quius contra aperiri meatum subterraneum jussit, & in suggestum proximum tormentarium extendi. Vesperi igitur ingens militarium fascium copia ad stationem Hibernorum Vilvordianam à VVesemaliantis, inibi simul excubituris, comportata; ut si agger noster hostili cuniculo subverteretur, instaurari confessum posset; sin hostilis nostro, materia fossis implendis ad manum esset, transitusque in munitiones facilior sternetur. Dum hæc fiunt, nihilque oppidani de laboribus remittunt, ultimo tandem terroris signo urbis constantiam hosti tentatam esse volunt; elatumque noctis sanguinisque celore, è suggestu, Speculæ opposito, vexillum, quod funestum & minax velut instar esset, quasi internecinâ excidii denunciatione. Sed facile jam signa

negligebant, qui arma, & tormenta, & ipsa hostium castra contempserant, pari ad terrorem virtutis auribus oculisq; obduratis. Hæc, ut narrata vulgo, & credita, referto Cæterum, casus, ut reor, mutatis scfelliit excubiis, ut suis Centuriaz singulæ signis coloribusque distinctæ: vel certè ignaris ducibus, militaris petulantia privatum lusum publico terrori aptavit. Cur enī non cædem è stationibus omnibus minæ? cur non universæ simul urbē conspicuæ? Saltem quot castra, totuſſent signa; ut quod communis fieret decreto, omnes percelleret. Dixetim, hæc omnia fugæ fuissimæ, metum minis occultatum. Etenim cū omnes ferè hactenus noctes continuis arderent strepentisque præliis; hæc una, & in castris potissimum Batavorum, somno similis fuit: occupatus hostis ut vase tacitus colligeret, discessumque

sumque, extremâ victus fame, maturaret. Insolitam verò hanç admiratus quietem Prestonius, nunquam quietus, post noctis meridiem ex urbe ad aggeres prodiit, & selectos duodecim è suis milites, quid hostis ageret, quidve moliretur, exploratum misit. Accedunt illi ad valla, neminem audiunt: incunt quoque, vident neminem. Sine præsidio munitio erat, & tanquam munitio non esset. Reversi sine pugna, & quasi viatores, lætâ voce, discessisse hostem indicant. Dum ad Grobbendoncquium Præfectus vigilum Fuscus, fugæ latus nuncium, properat, novi ad suggestum quoque tormentarium Hiberni procurruunt, vacuumq; inveniunt, manifesto jam solutæ obsidionis indicio; quod omnium tam militum, quam civium, juventutisque acclamationibus exceptum, jucundissimam venientis diei lucem fe-

160 HISTORIAE BELGICAE  
cit. Nasci cum die jam urbem dices,  
res, coli genium urbis, salute, tan-  
quam novâ vitâ acceptâ. Nihil sua-  
vius, quam è speculâ, turtibus, mu-  
ris, alibi densata ad iter agmina,  
alibi sparsas circum catervas specta-  
re oculis, tormentis infestare.  
Acerbiores quorundam voces e-  
rant, ad ludibrium contumeliam-  
que formatæ. Animos putares, noi-  
corpora hostium lædi, quæ gra-  
viora vulnera sunt. Sed quemad-  
modum funesta hosti obsidio fuit  
ita & fuga. Cadebant alii, morbis  
depressi, alii machinis percussi, alii  
glandibus trajecti : plus stragis,  
quam prælia erat. Ultimum Fran-  
ciscus Ioannes Roblesius, Juventu-  
nis Praefectus, tormentum è pluteo  
portæ Bruxellensis, admoto fomi-  
te, accedit, septenosque (ut vo-  
lunt) ab agmine hostium, jam se-  
moxente, abripuit. Quo sanè fac-  
hore finem laboribus hactenus  
exant

exantlatis imponens, liberatam es-  
se urbem solenni sono ac fulmine  
testatus est. Mirum dictu : plures  
hostium ex urbe, uno novissimoq;  
ictu absumpti, quam toto obsidii  
tempore , globis plus mille qua-  
dringentis, vel occidere, vel lædere  
nostrorum, è castris hostes potuē-  
re. Hac simul Prestonius arreptâ  
rei bene gerendæ occasione , tre-  
centos è suis, majoribus instructos  
sclopis, in hostem pugnaturus edu-  
cit, valideque cum equitatu , veli-  
tatus est : superveniente peditum  
auxilio , non minus feliciter suos  
reduxit, quam fortiter dimicave-  
rat. Virtutis hic quoque partes Ri-  
baucourtius , VVesemalius , Ein-  
houtius (& quomodò satis laudan-  
di?) tam strenue implerunt; ut non  
minori gloriâ pepulisse hostem,  
quam defendisse urbem videren-  
tur. Cives, rusticique, viarum im-  
primis gnari , & ex insidiis infesti

(quas inter Mannartius ille , & Brandenburgius eminebant) alibi palantes opprimere , alibi extrema agmina infestare , iræ & vindictæ ubique indulgere. Passim cadavera aut arma, homines aut spolia ; cùm plures sæpe captivi essent , quām qui caperent ; plures cæderentur , quām pugnarent. Circa meridiem Galli demum , tuguriis stegisque incensis , castrorum reliquias movere. Tum civitas quodammodo effusa, ut aggres hostium , ipsosque fugientes proprius spectaret : viri , feminæ , pueri. Sed ut repentinus , ita confusus hic discessus : varia etiam supellex relicta , & quicquid festinantibus grave esset. Plus igitur invenit quisque prædæ , quam ferre posset: qui vacui ex urbe ierant , onusti revertebantur. Plerique curiosi , ut murorum turriumque potissimum ruinas foris inspicerent , jam demum agnoscere periculum,

culum, in quo fucrant; horrere fatum, postquam depulsum esset. Nondum è conspectu postremum, quod Brisæus ducebat, agmen evaserat, & ab exercitu Picolominei, auxilia Germanica ducentis, quadringenti equites Croatæ, ab Isolano suo, inclito Martis, & naturæ prodigo præmissi, ad urbem advolant: genus hominum durum, militare, ferox; Pannoniæ Danubium inter Savumque incolæ, in ipsis quodammodo equis armisque natæ, & tantum non Centauri. Sclopo uno longiori, aliis brevioribus, tum acinace, malleoque unco & castrensi instructi, quoties pugnant, sæviunt. Cum verò facilius mortem contemnant, quam hostem timeant, audent omnia; vel tum maximè timendi, cùm diffungiunt; acrius soliti, & circumactis equis, in agmen, & prælium redire. Opprimi difficulter dispersi que-

164 HISTORIÆ BELGICÆ  
unt, conglobati opprimunt. Omne  
in impetu & cursu consilium est,  
fortuna in virtute. Sic invadunt,  
cædunt, vincunt: sic etiam, ne vinci  
videantur, occumbunt. Novi hi  
quidem hospites, cum, transgresso  
primam lineam Sole, proximi mœ-  
nibus essent, omniumq; in se con-  
verterent oculos, prius hostem,  
quam hospitium querere, pugnam  
inire, quam urbem voluerent. Et,  
,, Arma videmus Regia, inquiunt,  
,, ubi infesta Regi? Certatim  
omnium digitis vocibusque com-  
monstrata sunt, extremâ jam equi-  
tatûs Gallici parte Diliæ, prope  
Vigmalium pagum, imminentे.  
Huc igitur, nullâ interpositâ morâ  
ruunt, & more suo irruunt. Hosti-  
bus, in trajiciendo flumine occu-  
patis, parum ad pugnam otii, mi-  
nus animi erat; & quia à tergo ur-  
gebantur, majori cladi obnoxii.  
Eo tumultu magis, quam prælio,  
ducenti

ducenti Gallorum cecidere. Præcipua contentio , ut pontes à tergo dejicerentur: dejecti sunt. Sed victores, ne intercipi aquis, aut interrumpi fortuna videretur , contempto periculo , in flumen equis insiliunt , nandoque in adversam ripam evadunt. Tanquam sanguinem & sudorem abluissent , novo in hostem vigore invecti sunt, novamque cædem intulere. Lassi tandem, adeoque inclinato die, ad urbem, hospitio digni, veniunt, à civibus non sine triumpho excepti. Præfidiarii verò hoc tam pulchro exemplo vehementius exciti, quasi nec Croatis cederent , hostem, quamvis properantem, secuti, compendioque affecuti. Cùm novo in extremos impetu raperentur, viginti omnino equites , ipsumque Præfectum interfecere. Læti spoliis, & illæsi ad suos reversi , laude victoriam æstimarunt. Proximi

M 5 deinde

deinde aliquot dies aliquo semper  
præclaro facinore insigniti. Om-  
nem tandem si ad' calculum cla-  
dem referas, nullum tristius hosti  
bellum. Aliquot omnino millia vis  
militum nostrorum ac civium; ali-  
quot fames , & inde morborum  
contagio ; aliquot etiam fuga ab-  
stulit. Iunctæ utriusque exercitūs  
copiæ, cùm Trajecti essent, nume-  
rum implebant quinquaginta no-  
vem millium: lustratæ post fugam,  
viginti septem circiter erant. Ca-  
stra igitur, nonnisi sepulchra ; mu-  
nimenta pugnantium, nonnisi cæ-  
forum monumenta: urbs, quamvis  
libera , cadaveribus adhuc tamen  
obsessa. Pleni circumquaque agri  
& aggeres, & passim membra mor-  
tuorum semisepulta, non sine hor-  
rore eminent ; alibi & à canibus  
eruta lacerantur. Putares in usuram  
anni & horni , imbutum sanguine  
& tabo solum; ut quantum in agris  
circum-

circumjectis periisset segetum, tantum pinguefactæ glebæ gemino deinceps proventu horreis redderent; brevem autem belli tabem longâ ubertate supplerent. Quam exiguum verò urbi damnum a gemino potentissimoque exercitu illatum sit, si muri non possunt, dicent homines. Vna, ut suprà annotavi, mulier, pauci viri tot velitationibus, pugnis, tormentis, sive lœsi, sive interempti. Cives vix decem, milites vix centum quinquaginta. Plures mori etiam citra bellum poterant. Nemo autem toto obsidionis tempore, quod mirum est, morbo extinctus: nemini ægrotare otium erat. Tandem igitur profligato periculo, & absterfo metu, ad se quisque rediit, vivere incipiens, quasi mortem depulisset. Ipsa civitas post calamitatem exultans, & jam gloriosa, decem dierum, quasi tot annorum nō tem,

168 HISTORIA BELGICA  
etem, Trojâ felicior, in clarissimam lucem commutavit. Deo Opt. Maximo gratiæ solenni supplicatione dictæ: Dies urbis liberatæ, festâ quotannis pietate ac lætitia celebrandus, in fastos relatus: squallor & illuvies obsidii lætis charistis conviviisque ablata & abluta: expiata mœnia, purgatae plateæ: tabernæ passim & officinæ, quas torpor mercium & operarum clauserat, reseratae. Ab armis ad negotia cives, ad studia juventus reversa. Alii, posito gladio, calamum sumere, scribere publicè, aut dicere, quæ patrare quisque ausus erat, omnium virtutes unam laudem facere. Sic nunc etiam murorum, turrium, portarum vulnera pulchriorem urbem faciunt: sicubi & tecta læsa, suum quisque damnum, tanquam decoris monumentum computat. Hostes porrò divisis agminibus profecti, ipso itinere,

itinere, cadaveribus ubique strato, infelicitatem obsidionis repræsentare. Et quæ igitur belli fides? Timendi qui venerant, mutatâ retum facie, vel maximè jām timebant. Exercitum timebant Regium, à Principe eductum, & inhærentem vestigiis fugientium, exspectato verò hactenus robore instructum. Vnde Diestemii relicto mille ducentorum militum præsidio, tanquam in tremoram insequentibus, per lata Campaniæ Belgicæ ericeta Mosæ tractum petunt, fame dubium stimulati, an potius impediti. Princeps, quemadmodum liberare urbem, accinctus erat, ita postquam liberatam intellexit, hostem infecutus. Diestemium verò, quia resistere ausum, vi aggressus, ad dditionem compulit. Interea extrema carpentibus agmina Croatis, Auriacus porrectum sterilium terrarum æquor transiit, & inter Ruman-

ræmundam ac Venlonam , velut  
respirans , confedit. Satis sic qui-  
dem tuti limites hostium videban-  
tur ; & ecce quodam quasi fato  
viscera commota sunt ; ut qui foris  
occupare aliena destinaverant, do-  
mī nē sua quidem ( nec sua ) con-  
servarent. Tantum nobilissimæ ge-  
nerositatis Einhoutius , magna  
conservati Lovanii pars, ausus est,  
& quasi à Deo æterno huic facino-  
ri destinatus : qui, reductis Gelram  
copiis , Arcem hostium munitissi-  
mam , & supra belli vires positam,  
astu aggressus , virtute occupavit.  
Schencquianam appellant. Hæc il-  
la Arx est, Rheni Vahalique divor-  
tio. objecta, angusta antiquæ Bata-  
viæ principia, & quicquid uterque  
ambit fluvius , muniens, anno 15.  
LXXXVI. à Martino Schencquo,  
in Regem eo tempore militante,  
exstructa ; quæ navibus & com-  
merciis leges daret , homines &  
agros

agros tributo coēceret, clauderet vel aperiret terrā aquam, & aquā terram. In potestatem igitur Principis universę regionis clavis & repagulum venit ; quia fortis Einhoutius fuit , quia nihil tam ardum censuit , quod viribus non cederet, ingenio & prudentiā gubernatis. Is, cognito, paucos omnino milites præsidio relictos , quingentos, mandato Principis, pedites, & electos , clām & circa noctem, cum apparatu necessario , Gelrà educit , acceptisque Griethausē scaphis , Vahalim superat. Milites non minus avidi, quam ipse dux, ad Arcem properant, fossam aquā destitutam transcurserunt , mœnia succedunt, & erexitis scalis , dum sudes, senio quasi putres, evellunt, in summam simul conantur loricam eniti. Hic pugna, & acris. Neque enim hostem in periculo aut virtus destituit , aut formido retardavit.

Noſtri

Nostris bis rejecti, cum corporibus  
magis quam animis caderent, ter-  
tio tandem assultu vallum, ipso ur-  
gente Einhoutio, superant, & libe-  
riore impetu vim in adversos ef-  
fundunt. Cadunt utrinque plures,  
& pari ferè numero. Sed ipse Prä-  
fectus, VVelderus cognomine, ple-  
nus vigore, & loci tutelâ dignus,  
tredecim acceptis vulneribus, col-  
lapsus, secum Arcis fortunam traxit.  
Victores cum pugna iram posuere:  
nemini graves aut molesti; ut hu-  
manitatem proflerentur: quæ Re-  
giæ militiæ, sub FERDINANDO  
Principum optimo, tessera est. Pu-  
gnat ille, ut clemens sit; vincit, ut  
salutem donet. Hac etiam laude  
Stralam, Ercquelenam, Limbur-  
gum hosti, & magis miseriæ, eri-  
puit. Sed si hæc auspicia sunt, quæ  
reliqua belli fortuna erit?

PONTVS HEVTERVS  
DE  
OBSIDIONE  
ROSSEMIANA,

ANNI 10. XLII.

*Lib. XI. Rer. Belg.*

**R**OSSEMIVS & LONGEVALLIVS transgressi summo cum periculo Netam flumen, Mechliniam usque excurrunt, sed tormentorum formidine proprius non accessere. Venerat huc Bruxellâ Reginâ Maria: quare hostes ad meridiem declinantes, Keerbergam contendunt, inde Veldonekium, Schrikam, VVechteram, Rotsclaxam, Haghtam, Tieldonekium,

gium, ac VVespelarum veniunt. In quosdam igne s̄æviunt, majorem partem pecuniâ multant, nusquam vel debilissimo expugnato Oppidulo. Tandem Lovanium contendunt, ac juxta monasterium Bethlehem prima locant castra, Herentum ac VVinckeffelum exurunt; motisque Terbanckium castris, ad portam Bruxellensem confident Miserat Regina Maria Lovanium Georgium Rollinum, Aimeric Dominum, cum ordinaria equitum suorum turma; quemadmodum & Conradum VVarneburgii Comitem, cum trecentis peditibus; ac Philippum Dorlainium, Gallicæ Brabantiaæ Ballivum, cum ducentis peditibus. Sed defendere se posse, propter amplissimum murorum ambitum, tantillis copiis Musarum domicilium diffidentes, concepto timore, se inde cum corpis proripiunt: quod non parum cives

cives tertuit. Rossemius de ducum fuga, militum discessu, ac civium perturbatione certior factus, Legatum castrensem ad urbem mittit, dedique eam Regi Franciae petit. Idem quod Antverpiæ, fert responsi. Tum paucorum dierum fiunt induciæ, ac procurantibus aliquot proditoribus ( qui à Rossemio pecuniâ corrupti, copiarum ejus magnitudinem tormentorumque multitudinem mirum in modum auxerant ) de conditionibus, quibus Rossemius ab urbe discederet, agi est cœptum, cum tamen hac specie occupare eam conaretur. Petit ante abitum pro exercitu commeatum, tormenta urbis majora omnia, dolia aliquot tormentario pulvere plena, ac octoginta aureorum liliorum milia. Offerunt Lovanienses quinquaginta millia, ac pro Rossemii Longevalliique domestico comi-

tatu vinum ac commeatum. Admittuntur conditiones ; vinoque ab equis ad portam attracto, studiosi aliquot bonarum Litterarum (ut ibi tum celebris erat Academia) funes, quibus attrahebatur, discindunt, ulteriusque protrahi vetant. Sinistri enim aliquid animis praefagientes, verebantur ne dolo occupata portâ , hostes , qui juxta eam post vineta in acie stabant, irrumperent. Quare ex composito tumultu excitato , vinum commeatumque diripiunt , portam aperiunt prohibent, ac mox è vallo tormenta aliquot in Rossemianos exonerant : quæ caussa fuit, ut urbis Praefectus, cognomine Bleheimius, ac Damianus Goufius , qui Senatus populiisque nomine, durantibus induciis , ad hostes exierant , statim ab iis in vincula conjicerentur, violatas inducias tormentorum exoneratione cauillantes ; nec liberantur.

rantur, nisi perfolitis duobus aurorum liliorum millibus. Rossemius nullam restare spem capiendi Lovanii videns, valedictis Musis, Corbecum castra movet, inde Ramburgum, Neer-Ischam, Sartum, Florivallum, ac Thierogendalam transit, hos exurens, illos pecuniâ multans. Lovanienses hoste liberati, portis egrediuntur, ac casu Hieronymum Longum, è proditoribus unum, capiunt: qui in quæstione consios prodens, cum iis in foro strangulatur. Rossemius ac Longevallius in Gallicè loquenter contendunt Brabantiam, pri-  
mum Gravam, tum VVaveram, deinde Meleinum, Longevillam, Goldenacum, Gembjournium, Argentonium, ac Stappansium. Arcem Conroiam insidebant octoginta rustici: expugnati ad unum omnes interficiuntur. Inde Floru-  
num veniunt, Abbatiamque in-

genti pecuniā multant, totumque fermē Comitatum Namurensem similiter divexant. Sombrae Sabim amnem trajiciunt, rusticosque, ingentibus factis fossis, arbores ingentes dejecisse, intercludendisque publicis viis in transversum abiecisse reperiunt. Sed omnibus his superatis difficultatibus, magnis itineribus ad Aureliæ Ducem, Lutzenburgios oppugnantem, festinabant. Certiores enim facti erant, Cæsarianos, collectis undique copiis, Duce Aurantino, Burano, ac Bossuo, citato itinere insequi. Quare trajecto juxta Maseriam iterum Mosâ, quod id Francici juris Oppidum esset, munito loco confidentes, militi aliquamdiu requiem largiuntur. Cumque hoc loco inter Rossenum & Longevallium de prædæ divisione controversia non exigua oriretur, eam mox Aurelianus suâ auctoritate compo-

componit, Rossemiumque, perso-  
luto ejus copiis stipendio, in Gel-  
driam Cliviamque dimittens, mox  
cum suis in Franciam revertitur.

F I N I S.



VIRORVM  
IMPERIO, CONSILIO, OPERA  
PRÆSTANTIVM,

*Qui in hac Historia nominantur,*  
CENTVRIA.

A



B Angelis, Thologus,	
Pag.	59.
Acevedius, turmæ equi- tum Præfetus,	142.
147.	
Adolphinus, turmæ Præfetus,	143.
Alardus, turmæ Præfetus,	144.
ALBERTVS, & ISABELLA CL. EVG. Archiduces,	24.
Alpius, Signifer,	152.
Arcosius, Thenensis Præfetus,	12.
Arnulphus Imperator,	7.
A S. Quintino, turmæ Præfetus,	36.
Astor, turmæ Præfetus,	144.
Aubermontius Toparcha, Ribancour- tius, Tribunus,	35. & passim.
Auriacus Princeps Fredericus Henticus, 4. & saepius. Gulielmus, 8. Mauri- tius,	4.

B

B Alanconius Baro, Tormentorum Præ- fetus,	9.
Bena-	

Benavidius, Legatus Regius,	21.
Bertinius, Signifer,	129. 131.
Bervoetius, Legionis VVesemalianæ Pro- præfector,	45.
Bommaletius Toparcha , Eques, 51. & Paludanus , Consules Vrbis, 52. cum reliquo Magistratu,	53. 54.
Borgreeffius, Civium Ductor,	46.
Boschius, Centurio,	153.
Brabantiae Dux Joannes , Academiæ Conditor, 3. VVenceslaus, Ibidem.	
Brehäus,	103.
Brifäus,	4. & passim.

## C

C	Airus, Equitum Propræfector,	9.
	Cantelinus, Tribunus,	Ibid.
	Caraccius, Dux S. Georgii,	143.
	Carafa, turmæ Præfector,	Ibid.
	Carignani Princeps,	9.
	CAROLVS V. Imperator,	23.
	Cafatus, turmæ Præfector,	143.
	Castellionæus,	4. & passim.
	Coecquijs, Architectus Militaris,	9.
	Contreras, turmæ Acevedianæ Propriæ- fector,	143. 147.

## D

D	Aneelsius, Civium Ductor,	47.
	Davalus, turmæ Præfector,	142.
	Daveus, Academiæ Rector, 55. ejusque Pater,	56. 57.
	N 5	Daxpius,

<b>D</b> axpius, Eques Ord. S. Jacobi , à Con-	
<i>filii Secretisque Statūs ac Belli,</i>	20.
<b>D</b> orgoyus, Centurio,	57.

## E

<b>E</b> nhoutius, Protribunus, 36. & passim,	
<i>Estensis Marchio,</i>	21.

## F

<b>F</b> ERDINANDVS Princeps Cardinalis, 6.	
& passim.	

<b>F</b> uscus, Civium Ductor, 47. Sarti-Gui-	
<i>lielmiani Toparcha, Summus Vigilum</i>	
<b>P</b> ræfектus, 49. & sæpius.	

## G

<b>G</b> eraldinus, Signifer.	107. 131.
<b>G</b> odefridus Lotharingus,	2.
<b>G</b> ROBBENDONCVIVS Baro , Vrbis	
Præfектus, 35. & passim.	
<b>G</b> utierius, 64.	

## H

<b>H</b> everæus Marchio,	153.
<i>Hiddinga , Academicorum Ductor,</i>	
60.	

## I

<b>I</b> Solanus, Croatarum Præfектus,	163.
<i>Lamyl-</i>	

## L

<b>L</b> Amylleræus, Tormentorum in exercitu Gallico Præfctus,	82.
Landinus, Adjutor,	144.
Ledæus Marchio,	76.
Lermensis Dux,	9.
Longevallius,	3.
Loonbeccius Toparcha,	50.
Lybovicus XIII. Galliarum Rex,	21.

## M

<b>M</b> Aldeghemius Grimarezius, Vibi Bruxellensi Præfctus,	78.
Mannartius,	103. 162.
Merodius, turmæ Præfctus,	144.
Moncada, Aytonæ Marchio, Summus Belli Dux,	9. 19. & alibi.
Morganus, Tribunus,	132.
Muetius, munitionum Inspector,	50.

## N

<b>N</b> Annius,	39.
Nassavius Comes Joannes, Magister Equitum,	7. 140.

## O

<b>O</b> Ranius Marchio, FERDINANDO Principi à Cubiculis,	21.
---	-----

## P

<b>P</b> Arisotus, Juventutis Ductor,	59.
PHILIPPS IV. Hispaniarum Rex, terræ	

terræ marisque arbiter,	7.
Picolomineus Comes, suppetiarum Germanicarum Ductor,	163.
Prestonius, Centurio Primipilus, 67.118.	
Tribunus, è Vicecomitibus Gormanstoniis, 35.& passim.	
Puteanus, Erycl F. turmæ Acevedianæ Signifer,	147.

Q

Q	
Vellius, ordinis Director,	107.

R

R	
Oblesius, è Comitibus Danneppesiis,	
Iuventutis Dictator,	60.160.
Rosa, Belgii Praeses,	9.
Rossemius,	3.8.
Rotarius,	104.
Ruloffius, ordinis centuriati Director,	73.

S

S	
Chenquius,	170.
Silveria, turmæ Praefectus,	144.
Silvius, Eques; & Schorenbrootius, I.C.	
Vrbis Syndici,	53.
Smitius, Centurio,	120.134.

T

T	
Ronzanus Comes, turmæ Praefectus,	
143.	
Tuldenus, Iuris Antecessor,	70.

Vander-

## V

- V Andervorstius, Toparchæ Loonbe-  
cii F. Centurio, 50.  
Varennius Marchio, Tribunus, 113.  
Vignacourtius, I. C. Iuventutis Ductor,  
59.  
Villamorus, Equitum sub FERDINAN-  
DO Principe in Germania Legatus,  
142. 144.  
Vquintus, turmæ Praefectus, Ibid.  
Vrthellichtius, Civium Ductor, 47.  
VVelderus, Arcis Scheacquianæ Prae-  
fetus, 172.  
VVescinalius Baro, Tribunus, 35. &  
passim.  
VVeysius, 103. 162.  
VVingius Topacha, Vrbis Praetor, 46.  
130. 149.

CEN-

# CENSURA.

**O**bsidio urbis Louaniensis 1635.  
eleganter & fideliter conscripta  
ab A. V. ERYCIO PUTEANO,  
publicam lucem meretur. Datum  
Louanii, 17. Novembris 1635.

ANTONIVS LOVERIVS  
S. T. L. Pontificius & Re-  
gius Librorum Censor.

SVM.

# SVMMA PRIVILEGII REGII.

PHILIPPVS Dei gratiâ Hispaniarum, &c. Rex Catholicus, Diplomate suo sanxit , Ne quis ERYCI PVTEANI, Consiliarii, & Historiographi, nec non Professoris sui in Academiâ Lovaniensi, Libros, à Legitimo Censore approbatos, intra quindecim annos præter ipsius voluntatem, vel typis suis excudat, vel alibi excusos, in has Germaniæ Inferioris ditiones venales inferat. Qui secus faxit, præter exemplarium confiscationem, triginta marcharum auri puri illatione mulctabitur : uti latius patet in litteris, datis Bruxellæ , xiv. Februarii, M. D C. XXII.

*Signat*

Le Comte.

CAV-

# C A V T I O

AB AVCTORE T Y P O G R A P H O

F A C T A .

V T O R Privilegio , quod à Regi  
Catholico mihi nuper concessum  
est, & potestatem tibi, IOANNE  
CNOBBARE, bona fide facio, hunc  
HISTORIÆ BELGICÆ LIBRVM  
SINGVLAREM , DE OBSIDIONI  
LOVANIENSI , typis tuis excudendi  
ac divulgandi. In me, in te, in Regem  
ipsum peccabit, si quis alius editionem  
molietur, aut exemplaria inferet.

ERYCIVS P VTEANVS.

BAMELRODIVS.

---

## S C R I P T V R Æ V I T I A in transcurso emendata.

Pag.9. lin.2. Carigrani lege Carignani

Ibid. lin.13. judicabat lege indicabat

Pag.71. l.13. sibi lege tibi

Pag.74. l.15. resistendis lege resistendo